2001

AROMATVM, FRVCTVVM, ET SIMPLICIVM ALIQVOT MEDICAMENTORVM EX INDIA VTRAQVE, et Orientali et Occidentali, in Europam delatorum, quorum iam est vsus plurimus, HISTORIA brevis, vtilis, et iucunda.

CONSCRIPTA PRIMVM HISPANICE A IOANNE FRAGOSO Philippi II. Hispan. Regis Medico et Chirurgo.

NVNC LATINE EDITA OPERA AC STVDIO ISRAËLIS SPACHII Med. D. & Prof. Argentinensis cum Notis marginalibus atque Indice.

Plura indicat ad Lectorem Præfatio.



ARGENTINÆ
Excudebat IODOCVS MARTINVS.
ANNO M. DCI.



Illustribus ac Generosis
Dominis
DN. IOANNI CASIMIRO Comiti Erpacensi,
et Domino in Breüberg &c.
DN. CHRISTIANO
ET
DN. VVALRADO FRR.
Comitibus ac Dominis in
Waldeck &c.

Dominis suis Clementibus.

S. P. D.



Vm vniversam Medicinam non modò vetustissimi quiq; Scriptores, Illustres ac Generosi Dn. Comites, sed recentiorum quoq; pleriq; Dijs immortalibus acceptã referant, eamq; ob id non immeritò scientiam

antiquiſsimam, celeberrimam, & di-
vinam exiſtiment: tùm etiam præci-
puè illius partem, quæ medicamento-
rum doctrinam pertractat, dignam
eſſe cenſent, quæ ad DEVM autho-
rem & inventorem referatur, adeoq;
planè divina habeatur.

Vnde eſt illud ſapientiſsimi He-
bræi Ieſu Syrach Eccleſiaſtici. Ab
altiſsimo manat Medicina: altiſsimus
de terra medicamenta procreavit, nec
abhorrebit ea vir ſapiens. Ipſe (ſubdit)
ſanat per hæc, tollitq́ dolorē hominis.

Herophilus, teſte Galeno, Phar-
maca, auxiliares Deorum manus, ſi
docti Medici cōſilio adhibita fuerint,
rectè his verbis appellavit, dicens:
Φάρμακα ἐάν τὸν χρώμενον ὀρθῶσ συνε-
τὸν ᾖ, ὅιονπερ θεῶν χεῖρεσ εἰσὶ. *Quod*
Ægyptiorum ſacerdotes non ignora-
runt, qui remedia ut ſacro ſancta
Deorum

Deorum munera, ne vulgus ea prophanaret, in Ephesijs Vulcani sacrario, vt Græci in Aesculapij templo, recondebant.

Pythagoras autem clarus sapientia, primus volumen de herbarum effectu composuit, Apollini, Aesculapioq́, & in totum Dijs immortalibus inventione & origine aßignata; composuit et Democritus, ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis. Evax rex Arabum scripsit de viribus & effectibus simplicium medicamentorum atq́ etiam gemmarum ad Neronem Imperatorem. Rei herbariæ studium multis famam imraortalem attulit. Gentio regi Illyriæ inventa Gentiana: Artemisiæ reginæ Cariæ Artemisia: alijs aliæ: quemadmodum non minori industria ac laude etiam aliorū Simplicium medicamen-

torũ indagarunt facultates, modumq́ componendi & miſcendi ea inuicem, Viri doctrina, genere, opibus, potentia magni, quorum nomina id ſignificantia in hodiernũ vſq; diem in aliquibus plantis, medicamentorũ compoſitionibus, atq; antidotis conſeruantur.

Non eſt itaq; cur cuipiam mirum videatur, quòd hunc de Simplicibus medicamentis Indicis in Europam delatis, & quorum eſt in medendi arte vſus plurimus, libellum Illuſtribus Veſtris nominib⁹ dedicare voluerim: cùm vt veræ pietatis ſynceræq; religionis amore ſingulari tenemini, inſuper etiam ita erga literas literatosq́; omnes animati eſtis, vt ſpes ea omnes firma teneat, fore vt horũ Mecœnates ſitis futuri eximij. Speraui deinde, ex Hiſtoriæ peregrinarum harum rerum medicarum lectione Vos non parum

volupta-

voluptatis suscepturos. Plurimũ quoq; ornamenti atq; splendoris ad hanc libelli huius editionem accessurum existimavi, si in publicum prodiret sub vetustissimarũ Illustrium Vestrarum familiarum nomine. Accedit his, quorundam p. m. ex Illustribus Vestris familijs erga me meosq; quondã favor Clemens, quare et vestram vt semper optandã mihi, ita etiam quacunq;, vel hac ipsa ratione conciliandam amicitiam duxi. nam vt Græcus habet senarius : μακάριος ὅστις ἔτυχε γενναίου φίλου. *Quin vt hoc ipsum audentiùs facerem, movit me Ill. Gen. Vestrarum morum ac studiorum moderator atque inspector dignissimus ac fidelissimus D. M. IOANNES SIGISMVNDVS PAPPVS, Vir doctrinæ atq; virtutum genere ornatissimus, iam aliquot ante annos*

optimè mihi notus, qui quàm præclarè vt in alijs, sic in arte medica versatus sit, bina sub meo præsidio nostra in Academia doctè ingenioseq́; dedit specimina, vt & sic confidam magis acceptum Ill. Gener. Vestris libellum istum medicum futurum.

Quamobrem munusculum hoc qualecunq́; animo benigno suscipite, COMITES inclyti, quod testimonium sit meæ erga Generositates Vestras obseruantiæ: neq́; tàm id quod datur inspicite, quàm animum dantis perpendite, memores Persæ illius, ξενίων μέν ὅ θυμὸσ ἄριστοσ: *& quicquid sit æqui boniq́; consulite.*

DEVS OPT. MAX. Clementias Vestras diutissimè incolumes servare, & omnes heroicos conatus fortunare dignetur. Amen.

Scr. ex Musæo, Argentorati, Anno Redem

Redemptionis humanæ 1600. *die* 27. *Septembris, qui S. Cosmæ, & S. Damiano in fastis sacer erat. hi ambo Medici apud Egram ciuitatem capite multati sunt sub Diocletiano, Salutis nostræ annô* 301. *in persecutione Christianorum decima, quæ per totum mundum reliquarum omnium fuit crudelißima & longißima, siquidem sæuitia hæc durauit per decennium.*

Clementiarum Vestrarum

addictiss.

Israël Spachius D.

PRÆFATIO

LECTORI AMICO

Benè Agere.

PLura inveniuntur hodie, inquit de suo seculo Galenus Medicorum post Hippocratem princeps, quæ apud maiores non fuerunt inventa. Idem & de nostro prædicare possumus. Certè enim rerum cognitio acquirit vires eundo. Philosophiam iuxta Philosophum peperit admiratio: Nihil autem magis veneranda antiquitas mirata est, quàm vires herbarum & simplicium medicamentorum. Ex quo factum est, vt inventa terra ante non cognita, ceu Novo quodam mundo, inventa & quędam mędicamina sint, quorum ante vel nulla, vel obscura cognitio extitit, vt vita eorum inventrix dici posse videatur, quæ tamen ad vsus, rationesq; medicas nostras feliciter, bonoq; cum successu desumpta vocamus. Scripserunt de his magno commodo rei medicæ, & salute hominum,

minum, qui vel in illis ipſis fuerunt locis commorati, vel magis tamen, quàm nos, ijs vicini ſunt. Ex horum numero etiam eſt IOANNES FRAGOSVS Philippi II. Hiſpaniarum Regis quondam Medicus atq; Chirurgus, qui cùm in hoc negotio medico tàm controverſas ac diverſas videret Autorum ſententias, ipſe quoq; in eodem ſuum voluit exercere atq; experiri ingenium. Cùm Philippus Alexandri M. pater expeditionem in Corinthios apparare diceretur, Corinthij operi certatim incũbere cœperunt: hic arma comportabat, ille lapides congerebat, alius muros ſubſtruebat, nonnulli propugnacula firmabant. Eorum ſtudium Diogenes Cynicus videns, pallio ſuccinctus, dolium ſuum vltrò citroq; verſare per vicinum collem cœpit. Percunctante quodam, Quidnam hîc agis, ô Diogenes? Voluo (inquit) ego quoq; dolium, ne ſolus ceſſator eſſe videar. Simili quadam ratione Fragoſus, & ipſe

ipſe verſare vas ſui ingenij voluit, cuius vires & ante ſæpiùs tentaverat, vt dum conſcripſit Chirurgiam, Obſervationes compoſitionis medicamentorum, quorum in Hiſpania vſus eſt, Succedaneorum catalogum: (horum enim ſuorum laborum ipſemet meminit in præſenti libro Capp. de Ambra, Tabaco, Amomo, Cardamomo, Lycio, Myrrha) in hac ipſa, inquam, conſideratione Indicorum medicamentorum ſimplicium, quorum, vt & aliorum cognitione à parvulis delectatus fuit, aliquid præſtare voluit. Quare de ijs librum compoſuit, quem fatetur liberè ſcriptum eſſe pendenti titulo, vti Plinius in Præfatione ad Veſpaſianum, loquitur: quemadmodum Apelles faciebat, aut Polycletus: tanquam inchoante ſemper arte, & imperfecta, vt contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniam, velut emendaturo quicquid deſideretur. Hunc cùm ſummè vtilem fore

iudicaret

iudicaret LVDOVICVS DEMOVLINVS ROCHEFORTIVS, Blesas Nobilis Gallus, Margaritæ Valesiæ, Francisci I. Regis Gallorum Sororis Medicus χαριέστατος, & Emanuelis Philiberti Allobrogum Ducis quondam Consiliarius, ex Hispanico sermone, quò quàm plurimis prodesset, in Latinum traducere cœpit, & in publicum edere voluit (prout patet ex autographo) vltimam autem manum morte prę̨ventus imponere non potuit. Eum cùm ego in supellectile mea libraria deprehenderem, atq; iudicio huius Viri acquiescens & ipse lucem aspicere apud nos debere statuerem, tùm pluribus de causis alijs, tùm autem maximè, quia pulchra & præclara multa in se continet, quæ non habentur apud alios, & simul coniungit vtriusque Indiæ medicamenta, quorum historiæ breuis quædam quasi est Epitome: recognoscendum, & absolvendum in manus sumpsi, adiutus exemplaribus commodis:

modis: collatis locis Scriptorum, quorum testimonio vtitur Autor: adhibitis in consilium, vt ita dicam, ijs qui res tractarunt & descripserunt easdem ac similes: Caroli Clusij versione Historiæ rerum aromaticarum, quas India Orientalis fert, literis proditæ à Garcia de Horto, qui diligentissimus hac in re fuit, & per triginta annos in India medicinam fecit, Proregis Hispaniæ ibi Medicus: cuius studium & industriam in hac ipsa re imitatus est Christophorus à Costa, Medicus & Chirurgus Hispanus, qui etiam in hoc genere librum scripsit, itidem donatum latio à Clusio: tùm etiam versione Historiæ alterius, Nicolai Monardis, Hispalensis Medici, qui de ijs egit, quæ in India Occidentali proveniunt, Novo orbe ab Hispanis reperto. Mutavi autem Capitum distinctionem, & integrum opusculum in quatuor Tractatus secui: in quorum Primo agitur de Gemmis, Lapidibus pretiosis, & alijs quibusdam:

dam: in Secundo de Aromatibus, quæ vulgus Species vocat: in Tertio de Arboribus tùm ſterilibus, tùm fructum ferentibus, Herbis, Radicibus, atq; Lignis: in Quarto de Gummi, Lachrymis arborum, ſeu Liquoribus concretis. Annotatiunculas quaſdam appoſui ad marginem, vel aliâs inſerui, quas non ingratas fore ac eſſe Lectori ſpero: in omnibus verò, quantùm fieri potuit, ſi non ornatui ac elegantiæ, ſaltem perſpicuitati ac intelligentiæ ſtudui. Indicem ſubiunxi non omnium, quæ in hoc libro comprehenduntur, ſed inprimis eorum, de quibus ex propoſito videtur tradere. Quòd ſi hanc meam operam (appellabit autem fortè quis alienam: interim ego meam voco, quin & Tuam, ſiquidem literati omnes amicitiæ quodam iunguntur vinculo, huius autem lex quaſi quædam ſit, vt amicorum omnia ſint communia) acceptam eſſe intellexero, ac non libellus iſte accipiatur, vt tineas paſcat

ſcat taciturnus inerteis : aut fugiat Vticã, aut vinctus mittatur Ilerdam: alia communicare, DEO dante & aſſulgente fortuna, non deſinam.

— — — — — — — Namq;
Excitat ipſe favor ſtudium, laudataq; virtus
Creſcit: & immenſum gloria calcar habet,

vt Poëta canit. Quare

Eſto procul blattis, tineisq; nocentior ater
Mome.

At tu candide Lector, candidis meis conatibus fave, & Vale.



ARO-

AROMATVM, ET SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM INDICORVM ALIQVOT HISTORIÆ, TRACTATVS I.

De Lapidibus pretiosis, et quibusdam alijs.

De Adamante. CAP. I.



Ndicorum lapidum in Adamantibus dignitas prima, vt inquit Iulius Solinus, tàm ob duritiem, quàm ob insignes eius effectus. Atq; inde est, quòd is diu, non nisi regibus, & ijs admodum paucis fuerit cognitus. Vocatur Adamas (vt scribit Ioannes Camers Commentator Solini) à natiua eius duritie ab ἀ priuatiua particula, & δαμάζω verbo, quod domo, & supero significat, quasi diceres Indomabilis. Inueniuntur Adamantes in diuersis partibus Indiæ Orientalis, præcipuè in Bisnager, & excellentiores habentur, quos vocant de Adamantis præstătia. cap. 65. Nominis ratio. Natales.

Rupe veteri, præsertim quos natura elaborauit: quia, dicunt Indi, quemadmodum inter mulieres anteponi debet virgo illi quæ virgo non est: Eodem modo Adamas à natura elaboratus anteferri debet illi, qui arte factus & expolitus est. Refert Plinius, nasci etiam in Arabia, Cypro, et Macedonia: quāvis id neget Garcias ab Horto in suis Colloquijs, dicens quòd si ita esset, non adeò expeterentur à Turcis. Sed nostro judicio tàm infirmum est argumentum, ac si quis vellet probare quòd in Madrig non nascuntur Cidonia, quia de Toleto comparantur: ita ut poßibile sit, nasci Adamantes illis in locis, quos recitat Plinius, et procspicere sibi Turcos ijs ex India eò potiùs, quod meliores sint, quàm quòd inveniantur in maiori copia. Quod ad magnitudinem, dicunt vix esse aliquem maiorem auellana mundata: conspecti tamen maiores sunt, juxta relationem hominum fide dignorum, & quidem magnitudine oui parui. Rex noster Dominus habet unum forma quadrangulari, cuius pretium æstimatur centum & sexaginta millibus ducatorū. Dicunt Regem,

Lib. 37. cap. 4.

Magnitudo.

Pretium.

gem illius prouinciæ, ex qua allatus est, curasse in crucem agi multos, qui de terra eruerunt tot angulorū lapidem, ultra magnitudinem constitutam legibus. Quantùm ad ipsius generationem, miraculi instar esse videtur, huiusmodi gemmas, quæ multis annis nasci et perfici debebant, duorum aut trium annorū spatio perfici. Nam si in ipsa fodina hoc anno ad cubiti altitudinē fodias, Adamantes reperies. Post biennium, rursus illic excauato, ibidem inuenies Adamantes. Sed certum est grandes non nisi sub infima rupe nasci. Generosissimus est similis ferro albo & lucido, quod vergit ad ceruleum clarū, & relucet vt radius Solis. Distinguitur à Crystallo coloris splendore, & duritie, quæ absq; vlla comparatione maior, quàm Crystalli est, cui innasci quidam ex Veteribus dixerunt. Tanta autem boni est durities, vt pro certo habitū fuerit, resistere malleo: atq; in ignē iniectus, quantumvis magnum, se defendit mirabiliter, ita vt nullū accipiat detrimentū, aut etiam diminutionem, vnde lapidem indomitum antiqui vocarunt multis de causis. Licet

Generatio mira.

Electio: & proprietates quædā quæ ei ad scribuntur.

affirment etiam multi, eſſe tàm inimicum ſanguini hircino, vt cùm poßit ſe defendere ab igne & ferro: liber tamen non eſt ab illo ſanguine recente & calido, ſiquidem in eo dißoluitur, præſertim ſi hircus biberit ante vinum, & comederit apium, & petroſelinum, & alias herbas diureticas. Dicitur de ipſo falſò, quòd capiti mulieris dormientis ipſa inſcia ſuppoſitus ſi ſit, fidelis ipſa ruat in amplexus mariti: ſi adultera, ab illo refugiat. Fabuloſum etiam eſt, quod putant eius aciem plumbo obtundi, propter admixtionem argenti viui. Nam quemadmodum reſiſtit ferro & alijs metallis: ſic etiam plumbum eadem vi penetrabit, qua napũ penetraret. Id monſtrat experientia, quòd vbicunq; tangit, lineam cauam efficit, ſit lapis aut metallum, & ipſe non excauatur: nec poteſt laborari, niſi alio Adamante. Narrant quoq; ex mutuo duorum attritu inuicem ſic cohærere, vt vix poſſint ſeparari. Et propterea inuentus eſt Adamas, qui vbi incaluiſſet, paleas ad ſe traxit non aliter quàm Succinum. Magneti tàm inimicus eſt, vt in huius præſentia

Nõ *tamen* de omni ſimpliciter Adamante intelligendum, patet ex Plinio. *Cauſam inquire* apud Fracaſtorium lib. de Symp. & antip. cap. 11.

ferrum

ferrum non trahat, sed adimit illi vim. Philosophi tribuerunt ei facultates diuinas, quas comprehendit interpres Dionysij Poëtæ his duobus versibus: Vires.

Hic fulget lymphata Adamas quod pectora sanat,
Et prohibẽs miseris occulti damna veneni.

Addunt ampliùs, q̄ auertit qualecũq; malũ insomnium, metũ, phantasmata, & oculum fascinatorinm. Et vocatur gemma reconciliationis, quia dicunt mitigare iracundiam, & esse mediatorem inter discordias. Medici qdã indigenæ vtuntur Adamante puluerisato, atq; eum per syringam in vesicã inijciunt ad confringendum calculum: existimantes quòd per os exhibitus esset venenosus, & quòd propter suam tenuitatem & penetrandi vim, intestina perforaret. Cuius tamen contrarium compertum est in seruis Lapidariorum, qui verberib⁹ egregiè cæsi fassi sunt se deglutiuisse Adamantes: eosq; deinde cum excrementis alui eiecerunt, sine aliquo nocumento: quia suo pondere descendunt subitò, vt sic nullam infligant plagam seu vulnus. Deniq; ad confirmationẽ summi Non est deleterij facultate præditus.

Excellentiæ demõstatio memorabilis.

pretij et excellentiæ istius lapidis, visum est mihi allegare hîc id, quod narrat de ipso S. Epiphanius Episcopus, cui magnam authoritatem addit S. Hieronymus lib 9. Comment. supra Ezechielem cap. 28. & in Epistola quadam ad Fabiolam de vestitu sacerdotali, vbi tractans de Lyncurio lapide pretioso, transfert id quod de ipso scripserat S. Epiphanius. Dicit ergò iste S. Epiphanius in tractatu, quem fecit de duodecim gemmis, quæ erant in veste Aaronis, de Adamante, quem etiam gestabat summus Pontifex, dum ter in anno ingrederetur Sancta sanctorum, in Paschate, in Pentecoste, & Tabernaculorum festo. Ponebatur autem supra pectus summi sacerdotis inter duos Smaragdos, vnà cũ duodecim gemmis, quæ erant super humeros. Dieb⁹ ergò dictis ter per annum ostendebatur sic ornatus Pontifex populo. Quòd si in peccato deprehenderentur, si in præceptis quæ dederat Deus, non ambulassent, mutabatur, vt ferunt, color lapidis, & fiebat niger. Hinc agnoscebant, quòd Dominus mortem immissurus esset. Cùm verò eos gladio perdere vellet,

vellet, efficiebatur sanguinei coloris. Quòd si vt nix splenderet, agnoscebant se non peccasse, & tunc celebrabant festum.

De Smaragdo. Cap. II.

PLinius lib. 37. cap. 5. postquã tractauit de Adamantibus & Margaritis, dicit tertiam autoritatem Smaragdis perhiberi pluribus de causis. Prima, quia nullius coloris aspectus iucundior est. Nam herbas quoq; virentes frondesq; auidè spectamus. Smaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin & ab intentione alia obscurata, aspectu Smaragdi recreatur acies. Quorum verò corpus extensum est, eâdem, quâ specula ratione supini imagines rerum reddunt. Quemadmodum Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat Smaragdo. Quidam genera eorum faciunt duodecim: Nobilissimi dicuntur Scythici, proximi Bactriani, tertium locum Ægyptij habent, & qui colliguntur flante vento Aquilone. S. Epiphanius dicit, quòd Smaragdi præstãtia. Genera.

Loci, quibus nascitur. quidam ipsorum nascuntur in Iudæa, alij in Aethiopia, & etiam in flumine Indo, & Gange. Unde perspicitur, quòd vix cognoscitur vera ipsius generatio, quia propter pretij magnitudinem & dignitatẽ eius nullum quasi vestigium reliquerunt negotiatores.

Virtus mirabilis. Albertus Magnus lib. 2. de rebus metallicis, & Georgius Agricola lib. 6. de nat. fossilium narrant de isto lapide mirabilem virtutem, quòd ei motus obscœnæ voluptatis valde est perniciosus. siue enim mas, siue fœmina, dum commiscent corpora, si eum gestet, vel in annulo, vt contingat cutem, disrumpitur. Et narrat Albertus de Vngariæ quodam rege, qui ipsius regnabat temporibus, quòd cum haberet in digito annulum cum Smaragdo in hora coitus cum vxore sua, in tres partes diuisus est. Et ideo, addit probabile esse, quod dicitur, quòd hic lapis gestantem ad castitatem inclinet. Bonam efficit memoriam: auget opes: & fugat tempestatem. Pauca, quæ de gemmis traduntur relinquentur quò minus credantur, si verum est, quod diuinus Plato lib. 2. de Repub. narrat, quòd quidam pastor Gyges

vocatus

vocatus dum suum gregem pasceret, terra autem magnis quibusdam imbribus discessisset, hiatus inde ad eum locum extitisset, in illum descendit, ibiq; inter alia mirabilia æneum equum conspexit, cuius in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui inuenit corpus magnitudine inusitata, quod habebat in manu annulum aureum, & in ipso lapidem tantæ virtutis, vt qui ipsum ferret secum, videre poterat, sed non videri. Redeundo ad nostrum Smaragdum, dicitur etiam quòd cum morbo comitiali tanquam hoste mortali pugnat: quia si ipsum vincit, manet integer: quòd si non, rumpitur. Quidam, qui imitantur doctrinam Arabum, laudant maximè lapidē hunc contra febres putridas & malignas, quos eruditissimè refellit Aloysius Mundella. quòd tamen contra venenum valeat, Zoar Medicus Arabs monstrauit, cum dixit: quòd cùm comedisset herbam quandam venenatam, sumpsit in os smaragdum integrum, & alterum apposuit supra ventriculum, mox à veneno liber euasit. Refert etiam Auenzoar, & approbat Auerroës lib. 5. Colliget,

Lege Cælium lib. 6. cap. 11. lect. antiq. & Ciceronem lib. 3. de Offic. Meminit Lucianus in Foris, & rursum Plato lib. 10. de Rep. huius annuli Gygis.

Epist. 1. Medic.

Hæc de re Fracastorius lib. 3. de contag. morb. cur. cap. 6.

In prologo Cōsilij [illegible]

ad Soldanum. cap. 21. get, quod si de Smaragdo sumatur pondus nouem granorum hordei in aqua calida benè contrito, ieiuno existente ventriculo, sistit fluxus ventris qui proveniunt ex acrimonia alicuius medicamenti purgantis, aut humoris putrefacti. Smaragdina vasa. Porcellana. Rarissimæ magnitudinis Smaragdi exemplum habemus Genuæ, qui tàm magnus est, ac lanx siue patina, quam vulgò catinum vocant. Custodiunt illum in sacrario templi maioris eius vrbis, & monstrant cum magna solennitate die vno in anno: iuxta quosdam, vt satisfiat populo, quò intelligat non esse oppignoratum: iuxta alios autem in memoriam Christi nostri redemptoris, quo vsus est in vltima cœna, & dicitur fuisse ex apparatu Herodis regis. * In Gallia Narbonensi in cœnobio quodā Lugdunensis agri alia paropsis cernitur, cuius Conradus Gesnerus meminit libro de figuris lapidum cap. 6. instar pateræ, quam Porcellanam nuncupant, qua similiter Christum vsum volunt in ea cœna, sed minor multò superiori, nobilitateq; inferior. Ex Smaragdo simul cum alijs gemmis cōponitur in officinis Principum

* Qui à Galilæa Hierosolymam ad agnum Paschalem cōmandu- candū venire decreuerit: sed mutato cōsilio aliò diuerterit. Erasmus Stella.

Notanda circa Smaragdi usū.

Principum & Regum Electuarium quod vocatur de Gemmis ad passiones cordis. In illa autem compositione Mesuæ pro Feruzegi non intelligitur Smaragdus, sed noster vulgaris Turcicus, propter aliquot rationes, quas non est vt ventilemus, ne excedamus propositum, & quia de his actum alibi. Hîc aduerti debet, Smaragdos occidentales Peruinos nō exhibendos esse per os, quia aliquam in se habent vim corrosiuam & venenatam. sunt etiā colore inferiores ijs, qui sunt ex Oriente. Rumor est, in Balagate, Bisnager, ciuitatibus Indiæ Orientalis adulterari Smaragdos cum fragmentis vitri, sed cognoscitur adulterium in eo, quod summa facilitate franguntur. Ex regno nouo Granatæ aduexerunt ad nos multos Smaragdos, qui alicuius sunt pretij, & magni æstimati inter ipsosmet Indos, vt etiam in sepulchra ipsorum imponantur.

Feruzegi.

Adulteratio.

Inuenitur aliud genus lapidis, qui vocatur Prasius, *aut Prasites, et vulgò Plasma, cuius fecit Plinius tres species, vnam qualitatis, alteram loci, tertiam eandem cum Smaragdo.*

Lib. 37. cap. 8.

Similis

Similis Plasmæ venit ex nostris Indijs lapis valde pulcher, coloris vergentis ad viridem, cum mixtione albi. Cuius virtus est contra dolores frigidos, aut calculum renum, si gestetur brachio. Solent importari perforati, quia Indi sibi ipsos appendunt, tanquã locale remedium ad dictos affectus, & ad dolorem ventriculi, si ipsi imponatur. Matronæ nobiles, quæ ipsos consequuntur, faciunt ex ipsis brachialia præservationis gratia. Certò existimant quidam esse genus Iaspidis.

Lapis in effectu similis lapidi Nephritico, de quo Monardes.

Inveniuntur quoq; in illis locis maritimis nostrarum Indiarum quidam Pisces admodum magni, & bellicosi, in quorũ capitibus inveniuntur lapides, quorum fragmenta & pulvis si sumantur per os, idem faciunt quod Lapis nephritidis.

De Granato. Cap. III.

GRanatus æquè tàm vilis pretij hîc est, ac Hyacinthus, quod suspitionem attulit esse primam speciem Hyacinthi. Georgius Agricola numerat inter Carbunculos, & quasi omnes eundem sequuntur, affirmantes

mantes esse ex Rubinorum genere, ut Hyacinthum, quem flauescentem Rubinum appellant, Granatū verò, nigricantem Rubinum. Nascuntur autem & in Calecut & Cananor regnis Indiæ Orientalis: licet vidErimus colligi in Hispania, sed non tales, quales extranei sunt, quia non tàm bona est loci dispositio, quæ ad generationem & ortum rerum non parum facit.

De Hyacintho. Cap. IV.

Hyacinthus, vt Plinius dicit, lapis est coloris rubei & splendidi: quem moderni diuidunt in tres species Primam vocant Granatum, quæ est Chrysolithos: secunda Hyacinthus est citrinus, quē etiam vocant Chrysolithum: tertius est Venetus, qui est Cyaneus. Vbi notari debet error Solini cap. 43. qui attribuit Hyacintho id, quod non erat ipsius, sed Sapphiri, vti deprehendet qui diligentiùs ipsum examinabit. Nascuntur Hyacinthi in India, licet fama quoq; sit inveniri in aliquibus locis Lusitaniæ, vt in Belas nō procul Olyssipone, & in alijs multis partibus Hispaniæ, Species. Solini error. Locus natalis.

Tagus, & mira eius fertilitas rerum pretiosarum.

maximè in ripa Tagi, vicina monasterio Bernhardinorũ, quod medio miliari distat à Toleto, vbi inuenitur fons, qui Hyacinthorum vocatur, quoniam inter ipsos aqua eius scaturit. Sed tantum nõ est, quòd in isto tàm celebri fluuio nascantur hi lapides, siquidem præter aurum, quod in ipso inueniri testati sunt Poëtæ, cõspectæ etiam margaritæ sunt, & circumcirca plantæ tàm celebres ac raræ, vt in paucis locis alijs reperiantur, qualis inter alias est Lysimachia, Alysson Galeni, & Terebinthus Theophrasti.

Virtus.

Hyacinthi autem virtus est cordialis, quemadmodum apparet ex illa pharmacopœorum compositione, quæ dicitur Electuarium de gemmis: & per aliam benè vsitatam nostris temporibus, quæ dicitur Confectio de Hyacinthis contra pestem & febres malignas, atq; exanthemata.

De Iaspide. Cap. V.

Iaspidis vires.

PLinius lib.37. suæ nat. hist. docet diuersas species Iaspidis, & idẽ Dioscorides lib.5. qui dicit quòd totum genus istius lapidis ex collo gestatum, remedium est contra fasci-

nationes & incantamenta, & appositum femori mulieris accelerat partū. Gal. lib. 9. de simpl. med fac. laudat eum, qui est coloris viridis, ex quo vasa Murrhina conflantur (Porcellana vocant) adeò virentia, vt ex Smaragdo conflata videantur. Legitur quoq;, quòd si portetur Iaspis viridis supra ventriculum, ita vt cutem tangat, mirabile ipsi conciliat robur, reprimit nauseam ac vomitū, & iuuat concoctionem. Differt hic lapis ab illo multùm, qui communiter dicitur Iaspe in Castilia, quia Iaspis antiqua est gemma rara, cuius magnitudinem vndecim vnciarum vidit Plinius, formatamq; inde effigiem Nexonis thoracatam. Sed quod dicitur in Hispania Iaspe, est species Marmoris tàm communis & vulgaris, vt ex ipsa fiant passim multæ columnæ. Solebant antiqui, vt magis salubris esset, insculpere draconem, quæ consuetudo creditur nata esse ab Aesculapio inventore Medicinæ, quem repræsentabant in forma eius animalis. Narrant aliqui, quòd in capite cuiusdam serpentis in Africa vocati Aspidis, invenitur lapis Iaspidi similis Gal. lib. 9. de simpl. Iaspe. Sculptura draconis in Iaspide: cuius meminit etiā Galen. Iaspidi lapis simil. s.

maximè

maximæ efficacia, & accepisse inde nomen, quod non est verisimile. S. Epiphanius dicit esse sex genera Iaspidis, licet Isidorus ponat septendecim. Melior iudicatur, quæ inuenitur in montibus Scythiæ: diversitas autem oritur à diversitate colorũ; præfertur viridis ad usum medicum.

Iaspidis species, & quæ melior.

De Alaqueca. CAP. VI.

INvenitur in Balagate lapidis quoddam genus quod Alaqueca, Arabes Quequi vocant, cuius fragmentorum paruorum libra vna venditur regali nummo Castellano, res digna admiratione, maximè cùm præ alijs medicamentis facultatem habeat sistendi sanguinem ex quacunq; parte fluat. Suspicantur quidam esse eum lapidem, quem vulgò vocant Restagnasangue, similem facultate illi, qui fertur ex noua Hispania. Sed omnes multùm differunt ab Hæmatite, qui habetur in officinis ad similes effectus. Alaqueca autem videtur esse species Iaspidis, quia habet varietatem colorum, & inter illos puncta quædam colorata vt sanguis apparent. Vsus istius est contra qualem-

Vsus.

cunq;

tumq́; fluxum sanguinis, humectando ipsum in aqua frigida, & continendo atq; adstringendo eum infirmo in pugno manus dextræ, & iterando eius humectationem per multas vices. Etiam vtilis est, si adaptetur parti ex qua sanguis fluit, specialiter verò in fluxu hæmorrhoidum conspectus est felicissimus eius successus, factis annulis ex hoc lapide & gestatis in digito, aut ipsimet ano accommodatis.

De Sapphiro. Cap. VII.

SApphirus communiter gemma est exigui pretij: colore cæruleo oculis grato, qualis solet esse cœli sereni. Recentiores quidam scriptores duo faciunt eius genera. Vnum obscurius: Alterum verò splendens, & magis transparens, quod genus vulgò Sapphirum aqueum vocant. Vilior hic est, & interdum coloris cuiusdam admixtione Adamantē ita æmulatur, vt nonnullos plerumq; deceperit. Inuenitur vtrumq; genus in Calecut, Cananor, & varijs regni Bisnagua locis. Præstantiores adferuntur ex Zeilan: omnium verò laudatissimi ex Pegu,

Nulla ex istis gemmis, quamuis magna & excellens fuerit, inuenietur superasse mill ducatos. Sed si inspexerimus, quod de Sapphiro scribit Plinius, agnoscemus eum pro lapide Lazuli. Debet enim Sapphirus collucere aureis punctis, siue maculis: vti lapis Lazuli. Iuxta quem potest dici, quod legitimus non inuenitur. Totū genus Sapphirorum habetur pro cordiali, & miscetur etiam in electuarijs, quæ conficiuntur adversus pestem, & omnis generis venena. Aliæ multæ facultates inueniuntur de[scriptæ], scriptæ, quas, quòd sint ridiculæ, ipsis ea[m] autoribus relinquimus, ne mendaciorum videamur interpretes. Quoniam autem q[uæ] in vsu Sapphirus est perinde ac gemm[æ] aliæ vsitatæ facilè adulterari potest: qua[t]tuor his modis veræ à falsis distinguunt[ur] gemmæ. Primo, in pondere: quia arte fa[ctæ] maiore ex parte leues sunt, legitimæ gra[ui]ues, excepto Smaragdo. Secundo, quòd null[a] naturalium patitur lunam, excepto Smaragdo & Topasio. Tertio, quantò mag[is] intuemur & conspicimus gemmam legit[i]mam, tantò magis grata est visui, ita v[t] vi

Lib. 37. cap. 9.

Gemmarū legitimarū ab adulteratis ac falsis dignotionis ratio quadruplex.

vix ipse visus exaturari poßit, contrarium est in altera. Quarto, quòd bonæ & legitimæ multo tempore poßunt manere in igne, vt nullum ex eo detrimentum accipiant, at falsæ maculantur & corrumpuntur.

De Oculo felis. Cap. VIII.

IN insula Zeilan nascitur lapis, qui vocatur Oculus felis. Et licet inveniantur in Pegu, & alijs regionibus Indicis, similes tamen non sunt illis de Zeilan. Multò maioris sunt apud Indos pretij, quàm in Hispania. Constat namq; experientia, quòd cùm vnus sexcentis ducatis in India æstimaretur, transportatus in Lusitaniam, non nisi nonaginta est æstimatus, relatus autem eò vnde allatus erat, dicto pretio est venditus. Persuadent sibi Indi, eius qui hanc gemmam poßidet, facultates non imminui, sed semper incrementum accipere & augeri. Sed non est quod miremur, inter gentem tàm barbaram sparsas eße opiniones erroneas et superstitiosas, qualis hæc est, siquidem etiam inter Christianos, maximè inter fœminas, reperiuntur similes, qualis

Achates. Olho de Gato Lusitanis propter similitudinem.

est de Valeriana herba. Hunc Cardanus lib.7. de Subtil. Pseudoopalum vocat, & alij recentiores cum illo.

De Magnete. Cap. IX.

Nomina. *Lapis Magnes multa habet nomina secundum diversitatem nationum. Quia Latinis dicitur Magnes & Heraclius lapis, Barbaris et Italis Calamita, Lusitanis Petre de Ceuar, Castellanis Piedra Yman. Notus benè est propter validam vim attrahendi ferrum, ex quo apud nonnullos scriptum invenimus, naues Lusitanorũ quæ in Calecut cõmeant, clauis ferreis non compingi, sed ligneis, ob scopulorum è Magnete lapide frequẽtiam, à quo scilicet magna iactura attraherentur & raperentur naues, si ferreis clauis fabricatæ essent. Sed reuera non est historia autentica, cui fides adhiberi debeat; quia & in Calecut & toto eo tractu plures inveniuntur naues clauis confixæ ferreis, quàm ligneis, neq; quisquam Lusitanorum est, qui huc vsq; dicat se hoc vidisse. Verum quidem est, quòd in insulis Maldiuis inveniuntur naues contextæ clauis ligneis, [vel filis duntaxat ex nuci-*

Ferrum attrahit: et de eius φαινομένου causis. Alois. Cadamustus lib.2. c.55.

bus

bus Cocis] sed hoc non fit propter metum Magnetis, sed ne maior impendatur sumptus in ferrum. Ad hæc dicunt quidam lapidem hunc maiori ex parte inueniri in metallis ferrarijs, atq; inde tantam esse cognationem inter Magnetem & ferrum : cùm tamen inveniatur etiam lapis hic, vbi nunquam fuit ferrum. Sunt qui putent Magnetem ad se ferrum trahere, ob eam facultatem quam ferro cõmunicauit seu impreßit, qua ad Magnetem feratur : eamq; ob causam Magnetem non maioris esse ponderis, etiam si multum ferri illi addatur, quàm cum exigua ferri quantitate in bilance positum. Sed contrarium docet experientia. Præterea aliud quid de Magnete in medium producunt, dicentes esse facultatis deleteriæ, & homines reddere stultos. Verùm expertum habent huius regionis incolæ, Magnetem pauca quãtitate per os sumptũ, retardare senectutem, et conseruare iuventutem. Qua de causa Rex Zeilan, ollas ex Magnete iußit confici, in quibus cibus eius coqueretur. Inseruit non parùm nostris navigationibus, siquidem per illum cognoscun- Vsus eius.

tur horæ diei, & venti. Apud nos in officinis fiunt cum ipso emplastra, quorum vsus est ad mala vteri, quibus sunt valde subiectæ mulieres. Magnes autem habetur melior, qui maximè attrahit ferrum, colore vergente ad coeruleum, densus, & qui per se non est valde ponderosus.

Theamides. Plinius lib. 36. cap. 16.

Lapis vocatus Theamedes, *qui colligitur in quodam monte Æthiopiæ habet contrariam virtutem virtuti magnetis: quia supra ferrum positum, statim illud fugit.*

De Lapide Bezaar. Cap. X.

Bezar lapis. Belzaar.

NVllus Græcorum, neq; Latinorum facit mentionem lapidis Bezaar tanti nominis in vsu Medico apud Magnates & Principes. Medici Arabes scripserunt de eo magna experimenta, quorũ multa etiam nostri temporis confirmarunt Medici.

Nominis ratio, & Generatio.

Quantùm ad etymon & originem nominis; discrepant inter se Autores. Dicunt aliqui vocatũ esse hunc lapidem Pazar à Pazan, h e. hirco, inde corrupto nomine dicitur Bezar, aut Bazar. Conradus Gesnerus sermone in

monem instituens de capra siluestri scribit, nomen hoc esse Hebraicum, compositum ex Bel, quod significat Dominum, & Zaar, venenum, q. d. Dominus venenorum. Tradit præterea generari in capra montana in India maiori, trans fluuium Gangem in quibusdam montibus vicinis Chinæ. Alij, quò ad eius generationis modum, eum sic describunt. Est in Corasone & Persia Hirci quoddam genus, quod Pazam lingua Persica vocant, coloris ruffi, aut etiam similis glandi maturæ, in cuius ventriculo nascitur, circum tenuissimam quandam paleam semper augmentum capiens cum quibusdam velut folijs aut squamis, ad modum Bulbi, siue Ceparum, vt vna q. tunica superimposita sit alteri. Quod ita se habere, constat experientia: fracto enim lapide huiusmodi tenuis palea in centro siue meditullio eius inuenta est. Conspicitur tamen intus quandoq; quædam cauitas, quæ puluere plena est (quo falsi carent) eiusdem cum lapide facultatis. Ad hæc dicunt aliqui, quòd animalia hæc vocata alio nomine Ceruicapræ funguntur officio ceruorum, & iuxta Pli-

nium lib.28. cap. 9. ſerpentes hauriunt, & ſpiritu narium extrahunt de latebris cauernarum, quibus deuoratis aquam petunt, in qua tamdiu ſe immergunt, donec vim veneni ſedatam ſentiunt. ex aqua autem egreſſi redeunt ad paſtum, et multas herbas contra venenum vtiles comedunt, quas inſtinctu quodam naturali cognoſcunt: atq; ita ex veneno, quod comederant; & ex herbis, quas depaſti fuerant, mediante calore interno generantur hi lapides in ipſorum corpore. Animal hoc, vti tradunt, eſt magnitudine cerui atq; tàm animoſum, vt aliquando interficiat venatores, quare benè armati prodeunt ad capiendum ipſum cum laqueis & intricamentis multis alijs. Sunt porrò animalia hæc magna agilitate prædita, & incedunt gregatim mugiendo. Sunt qui affirment, Ceruos dùm animaduertunt ſe valde ſenes, comedere ſerpentes quorum eſu reiuueneſcunt: ne autem venenum noceat, immergere ſeſe in fluuijs, vt ſolum caput promineat extra, dùm autem in his ſunt, defluere humorẽ craſſum ab ipſorum oculis, qui magno calore Solis congelatur in

lapides

lapides similes glandibus. [De Bezehardt *Arabum ex ceruorum lachryma ita Theomnestus grauis veterinariorum medicinæ auctor scribit. Ceruos, vermes intestinorū inuolucris implicitos, serpentium esu enecare, quos ex cauernis narium spiritu eliciunt: & ne illorum virus ipsis obsit, ad fontes aquarū accelerant, quibus ad labra vsq; se immergunt: tum oculis lachrymæ lentè destillant, quæ viscedine sua coagulatæ, in angulis oculorum in lachrymas nucis iuglandis pondere coalescunt. Deinde quum sese veneno exoneratos senserint, aquam egressi, in latebras diuertunt: & vt lapis ille, visus obstaculum, decidat, caput arboribus affricant. quem inuentum, vt Bezehardt contra quoduis venenū antidotum efficacissimum, venatores Siciliæ & Orientis magni vendunt. De quo Auenzoar lib. 1. tract. 13. cap. 6. Scribonius Largus cap. 42. composit. 163. Scaliger aduer. Cardanum Exerc. 112.*] *Cùm hoc anno in aula esset eques quidam prædiues Commendator S. Iacobi nomine Aluarus Mendez, qui partes illas peragratus est, & singulariter* Spachij additio.

perconctatus de isto lapide, dixit quòd viderit ipsemet sæpè extrahi ex renibus quarundam caprarum montanarum, quæ sunt in Arabia. & quòd sint duorum generum: vnum melius, ex Felici Arabia: et alterum non tale, ex Vaccarum insula, magis versus Septentrionem. Atq; secundum hunc pari ratione generantur hi pretiosi lapides in renibus illorum animalium, qua in corporibus humanis. Alij sentiunt esse minerale quiddam, vt Serapio. Sed plus fidei adhibendum est illis, qui scripserunt de illis regionib9, in quibus dictus lapis generatur, & multò magis testibus oculatis. Quod ad eius complexionem, nihil certi potest adstrui, quia non operatur per facultatem manifestam, sed per virtutem specificam. Indi vtuntur eo nos secuti contra omne genus veneni, & non solùm in morsib9 animalium venenatorum, sed etiam ad morbos melancholicos. Opulentiores bis se purgare solent singulis annis, Martio & Septembri. A purgatione, quinq; subsequentibus diebus continuis sumunt in singulas doses decem huius lapidis grana dissoluti in aqua rosa- rum.

Tēperies.

Vtilitas.

rum. Hoc remedio iuuentã & vires conseruari dicunt. Vtuntur etiam contra tristitiam, melancholiam, syncopen, epilepsiam, morbos diuturnos ex humore melancholico, lepram item, scabiem, impetiginem, et quartanas. Valet contra lumbricos, in aqua portulacæ: contra febres pestilentiales, in aqua acetosæ: & deniq. contra variolas & rubeolas. Vtendi modus varius est. vel enim aßumitur in potu, aut cibo: vel confringitur aut portatur in ore, aut sugitur: aut datur in puluere ad sudandũ: aut appenditur in sacculo, vt cutim tangere poßit, vti fit in Sublimato ad præcautionem pestis. Vtilis etiam singulariter est puluis aspersus morsibus ferarum virulentarum, & anthracibus pestilentibus, quia venenum forás euocat. Sed si vtendum puluere est, debet radi instrumento aureo aut argenteo, ne terendo virtus ipsius exhalet. Quò ad quãtitatem, exhibentur tria, sex, aut duodecim grana, secundum arbitrium dantis. Vt sciri poßit, an legitimus lapis hic sit, modus talis inuentus est. Ducitur cum acu filum per toxicum (herba balestera vocatur) deinde per

canis

canis aut alterius animalculi pedem transmittitur acus, atq; filum relinquitur in vulnere. Canis ilicò incipit ea symptomata habere, quæ solent comitari eos, qui biberunt toxicum. Cùm planè concidit canis atq; desperatus videtur, tùm huius lapidis puluerem aqua dilutū cani in os inijciunt, & si ad pristinum suum statum animal redierit, habetur pro legitimo: sin minus, pro adulterato. Invenitur quoq; in Malaca lapis venenis resistens, qui tanta est in æstimatione, vt è duobus, qui simul reperti fuerunt, alter pro ingenti munere mißus sit Proregi Lusitaniæ, atq; hunc omnino præferunt lapidi Bezaar. Nascitur in felle Hystricis, cuius color vergit ad purpureum, gustu amaro, tactu lævis & lubricus, vt Gallicus sapo. Referunt ij, qui fuerunt in istis locis, quòd Indi quidā adulterarint lapidem istum Bezaar certa quadam compositione, quam illi norunt: non autem paleam, quæ intus continetur, neq; puluerem potuerunt exprimere. Quare dicit Serapio, eße aliquos ex istis lapidibus, quæ nullam contra venena vim habent, vt veri. Quòd

Lapis inuentus in felle porci spinosi aduersus venena, Lusitanis dict⁹ Pedra de Porco. Aliâs; Lapis Malecensis.

Bezar adulteratio.

autem lapides isti habiti fuerint semper in magno pretio, testis est autor quidã Arabs Hispanus, cùm dicit, se lapidem Bezaar vidisse apud filios Almirama custodis legis Dei: pro quo lapide magnificam ac propè regiam ædem Cordubæ is rependit. Præterea quòd ipsi Reges Indiæ magni hunc lapidem æstiment, manifestum fit ex munere, quod in prima acquisitione misit Rex de Cochin ad Regem Portugaliæ, quo inter alia etiam hic lapis fuit, quem dicunt fuisse primum, quem Lusitani importarũt in Hispaniam. Pretium grande.

Nostris temporib⁹ cœperunt quoq; Lapides Bezaar ferre ex nostris Indijs, quos eosdem cum Orientalibus dicunt habere effectus. Habent extrinsecus colorem leonatum obscurum & splendidũ, & sub duabus tunicis certam rem albam, qui gustati sapiunt terram, & magnitudine sunt non mediæ fæbæ, vt quidam ex recentibus dicit, sed castaneæ, vel oui. Generatur in quodam animalium, quæ sunt in montib⁹ et terris frigidis Peruinis, atq; similia sunt arietibus, licet non habeant cornua, tantæ velocitatis & agilitatis, vt non possint capi venando, nisi tormentis Bezar alia ab Orientali specie.

mentis

mentis manuarijs bellicis. Inuenitur lapis in quodam folliculo propè stomachum, & maioris existimatur efficaciæ esse eorum, qui pascuntur per montes, quàm qui per plana. Ex Nombre di Dios & Carthagine attulerunt lapides quosdam, vt saxula fluuij. Inueniuntur in ventriculo magni alicuius Lacerti, vocati Caimanes, & sunt amphibij, quia viuunt in terra, & in aqua. Sunt feroces & dentati, ac tàm magni oris vt deuorare possint hominem integrum. Alleuiant & quandoq; tollunt quartanas si vnus istorum applicetur vnicuiq; temporum ægri: quod occulta quadam ratione fit.

Lapides ex alijs animalibus exempli.

De Margaritis. CAP. XI.

De Conchis, Margaritis, & Vnionibus Plinius lib. 9. cap. 35.

Natales Margaritarum.

INter Margaritas, quæ prægrandes sunt Vniones Latinis dicuntur, quoniam vix duæ inueniuntur, quæ similes sunt magnitudine, figura, & nitore. Minores dicuntur simpliciter Margaritæ, Arabibus Aliofar corrupto vocabulo ex Iulfar portu in mari Persico, vbi generantur præstãtiores. Hinc etiam vocari solent Orientales, quia sinus Persicus Orientalis est, comparatus cum nostri

nostra Europe. Reperiuntur etiam Margaritæ à promontorio Comorim, ad insulam usq. Zeilan (ubi est piscatio regis Portugaliæ) sed & minores & vilioris pretij, quàm superiores. Generantur & in insula Burneo, quæ licet magnæ sint, tamen non tàm benè formatæ, ut aliæ. Veniunt etiam pariter aliquæ ex Chyna, quæ non magni sunt pretij. Pro vero statuitur reperiri etiam in mundo nouo, quæ tamen nulla ratione comparari possunt cum Orientalibus: cùm sint minores, non ita candidæ, læues, ac rotundæ, etiamsi piscando ipsas multi vitam amiserint. Producit etiam ipsas Oceanus Septentrionalis, ut Orientalis, quàmuis non in tanta abundantia. Deniq. pro certo habetur, generari ipsas in omnibus aquis, in quibus inveniuntur conchæ. Quia præter Boëmorum testimonium, qui dicunt inueniri ditissimas conchas in quodam fluuio dicto Vuotauua, visa est in Tago flumine Toleti margarita in quadam concha ex ijs quæ ibi nascuntur, cùm precessisset magna quædam siccitas. Origo & genitura ipsarum est maiori ex parte è conchis, Genesis.

haud

haud multùm ab ostrearum conchis dissimilibus. Sed hoc notari debet, eas quæ natant in profundo, producere margaritas maiores: & quæ in alto mari degunt, minores. Conchas ergò vbi acceperint Indi illius regionis Orientalis, aëri exponunt, vt exsiccentur, atq; ita aperiuntur: & in apertis mox conspiciuntur margaritæ aliquando plures, aliquando pauciores secundum ipsarum magnitudinem. Americus Vesputius affirmat, habuisse se concham, in qua inventæ sunt plures quàm 130. *margaritæ.*

Essentia. *Quod verò ad essentiam attinet, est quæstio inter autores, an Margarita sit pars ipsius conchæ, aut superfluitas, aut morbus.*

Lib. 3. Dipnosoph. cap. 8. *Refert Athenæus, quòd Chares Mitylenæus libro historiarum ad Alexandrum septimo, ipsas vocauit ossa: alij putant esse medullam ipsius conchæ: alij partum, vt Plinius: aut oua, quæ de seipsis producunt, quia in mari adhuc sunt teneræ, & statim post piscationem indurantur. Verior opinio meo quidem iudicio est, generari illas in carne conchæ, vt lapides in carne aliquorum animalium, suppeditata huic generationi ma-*

tioni materia ab humore crasso & viscido, qui redundat ex alimento: addito tamen hoc, quòd non semper inveniantur in media carne, sed in aliis partibus ipsius conchæ. Inter conchas meliores habentur læves & albæ, quas eius regionis incolæ Cheripo appellant, ex quibus cochlearia poculaq́; conficiuntur. Verùm Cheripo non id est conchylium, quod vulgò Matrem perlarum vocamus, quam eius loci populus vocat Chanco. Habent mercatores eius regionis cuprea quædam instrumenta multis foraminibus pertusa, quibus æstimant & cognoscunt pretium Margaritarum. Nam quæ traiici possunt per minora foramina, idem habent pretium, & venduntur per drachmas: quæ transeunt per maiora, maioris æstimantur sine comparatione. Dicere autem inveniri aliquas perforatas naturaliter, est ridiculum, quia quas videmus cum foraminulis, sunt ita elaborata naturaliter. Maiores, quæ generantur non procul à promontorio Comorim, pendent centum grana tritici, & valet vna quæq́; illarum mille quingentos aureos. Cōspecta etiam est, Electio & pretium.

C quæ

quæ centum sexaginta grana penderet. Persuasum habent aliqui, minui ipsarum pondus & colorem immutari antiquitate temporis. At cognitum est experientia, diu oryza leuiter confracta et sale versatas, pristinum vigorem & fulgorem recuperare. Et Auerroës Arabs magni nominis inter Philosophos, & non paucæ existimationis inter Medicos scribit, quòd si dentur comedendæ columbis, clariores et puriores reddi, vt tamen statim occidantur, vbi illas transglutierint, quia si diutius ac per tempus longius in suis retinerent ventriculis, non parùm decederet de pretio, & damni plus quàm lucri accederet. Americus testatur, eas nisi sint benè maturæ & cadant ex conchis, non eße perfectas & consumi paruo tempore, hocq́; respectu habito debere colligi, quando volunt excidere. Habentur optimæ, quæ sunt valde candidæ, rotundæ, læues, transparentes & ponderosæ, atq; simul tantæ mollitiei sunt, vt facilè poßint liquefieri in aceto, ad modum testæ oui. Quod manifestum facit illa sumptuósißima & superbißima cœna Cleopatræ reginæ Ægypti,

Margaritis nitor quomodo restituatur.

Collectio.

Delectus.

Æstimatio et pretium

Ægypti, quã dedit studio singulari Marco Antonio, quæ si computetur ad monetam præsentem, æstimabatur ducentis quinquaginta millibus ducatorum, siquidem aceto liquatum absorbendum dedit maiorem & generosiorum vnionem, qui tùm credebatur esse in mundo. Quod idem etiam fecit Imperator C. Caligula. Quantùm ad vsum Medicinalem attinet, non scimus ex ijs vtilitatem capere Indos, quanquam dicatur quòd propter suam siccitatem naturalem consumunt superfluitates corporis, vnde fit, vt vires & spiritus vitales recreentur & confortentur: atq; hanc ob causam Arabes Medici inter cordiales medicinas eum numerant, etsi, quod scim⁹, nec Dioscorides, nec Galenus ipsarum fecit mentionem, quæ notatu digna sit. Valent etiam contra pestem, & morbos alios malignos, humiditates oculorum, si puluis ipsarum subtilissimus in ipsam partem ponatur. Habentur frigidæ & siccæ cum aliqua adstrictione.

antiquitus. Plinius lib. 9. cap. 35. & Plutar. in Antonio. Suetonius, & Dion.

Vsus in Medicina.

De Ebore. Cap. XII.

EBur nihil aliud est, quàm dens Elephantis quem vulgò vocant Colmillo, quo

vtuntur vt plurimum Medici ad confortandum cor & hepar, & restringendas purgationes albas mulierũ. Nullius in medicina vsus sunt ipsi dentes apud Indos Orientis: sed duntaxat ab Arabibus & Turcis vsurpantur ex Auicennæ præscripto in iisdem remedijs, quibus nos vtimur. Verum ad diversa instrumentorum genera tantum eius vsus est, vt ex ea parte Æthiopiæ quæ est à Sofala, vsq; ad Melinde, singulis annis in Indiam deuehantur millies sexcenta pondo, præter eos dentes qui ex plerisq; Indiæ regionibus convehuntur. Habetur frigidum & siccum in primo gradu. Circa quod duæ erroneæ opiniones sunt. Vna quæ dicit inveniri quoddam Ebur minerale: altera quæ vult non haberi Ebur verum, cùm tot inveniantur Elephantes per Indiam et Æthiopiam.

Aiochtoli. *Invenitur in nostris Indijs quoddam animal vocatum* Armadilla, *quod veluti testis quibusdam totum coopertum est vsq; ad pedes, & est porcelli magnitudine, caudam habet vt Lacerti, in qua est oßiculum, cuius in tenuißimum puluerem redacti pila-*

lula,

lula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atq; auri indita, dolorem eius sedat atq; tinnitum. Sub terra vivit, vt Talpa, & terra sese sustentare creditur. Sunt quoq; ista animalia in India Portugaliæ, & vocant ipsa Encubertados.

TRACTATVS II.
De Aromatibus.
De Cinnamomo sive Canella. CAP. I.

TAm longa difficiliq; via petebantur olim hæc aromata, vt perfectam eorum notitiam conse qui veteribus haud facile fuerit. Et quoniam ingens eorum erat pretium, maiorq; in hominibus lucri cupiditas, adulterabātur aromata, et hac ratione fiebat, vt diversa illis imponerentur nomina, tametsi plerumq; eiusdem essent generis. Quare præsens quoq; aroma dicebatur Cassia, & Darchyna lingua Persica, nostra Canella, & Cinnamomum etiam, quod significat lignum odoratum, aut Amomum allatum Cinnamū. Darseni. Nomen.

ex China. Conspicitur quandoq; in India Orientali Canella, sed ea valde deprauata, & commixta cum bona, quæ damnatur, aut quòd non benè parata sit, aut non suo tempore cæsa, quandoquidem vix aroma reperias corruptioni magis obnoxium, præsertim si diu detineatur in navi. Quidam dubitarunt, an nostra Canella esset vera Cassia antiquorum, an Pseudocassia. Rem eandem esse, multis probatum est à recentioribus. Verùm decepti in hoc sunt, dùm non cogitarunt, nos nullum habere Cinnamomum, siquidem Galenus cùm Theriacam pararet vellet Antonino Imperatori, accipiebat ipsum ex vasculis, in quibus res exquisitæ & pretiosæ erant recōditæ, quorum quædam Traiani erant, alia Adriani, nonnulli Antonini, qui Adriano in imperio successit. Neq; adeò mirum sit, deesse nobis Cinnamomum, quoniam etiam eo destituebantur Principes tàm curiosi & soliciti in rerum necessariarum acquisitione ex India, atq; mundum ita habebant sibi subiectum, vt fragmentum rei alicuius videntes, accipere liceret, quod conservarent in suis thesauris.

Canella an Cassia sit: & an hodie inveniatur.

Lib. 1. de antid. cap. 13.

Vnde

Vnde non est mirum, Cinnamomum periisse in Arabia, vt Balsamum in Iudæa. Addatur, quod tradit Plinius, huius siluas incensas esse ira barbarorum. Confirmat & illud, quia ad inveniendum Cinnamomum illi qui Canella se onerant, adferrent etiam illud, quod maioris est pretij. Et concludunt, diversas esse res Canellam & Cinnamomum. Sed si verum esset, non inveniri Cinnamomum, vt isti arbitrantur, nescio quid Galeno responderi possit, cùm dicit: ex præstantissima Canella seligatur Cinnamomum, & quód quandoq; arbores integræ Canellæ conspiciuntur, ex quibus proveniunt aliquot rami Cinnamomi. Quod cùm ita sit, aut debemus dimittere Canellam, aut admittere Cinnamomum, in quod illa abit. Et mihi quoq; videtur necessarium esse fateri, quòd habeatur, licet in pauca quantitate: atq; istud solum probant argumenta alterius partis, quæ non negamus, maximè cum habeam parum de quadam eius particula, quam communicauit Doctor Madera Medicus regius, ijs præditam cõditionibus, quas Galenus tradit. Valde benè olet, ad Lib. 12. cap. 19.

gustum se præbet calidum, & non ingratum palato, color eius talis, ac si misceremus cum lacte colorem fuscum addito pauco ceruleo. Arbor Cinnamomi magnitudine est Oleæ, interdum minor, multis ramis rectis prædita. Folia quò ad figuram sunt similia folijs citri, & habent tres neruos in longitudinem, vt folia plantaginis, & sapor foliorum idem est cum sapore ipsiusmet Canellæ, sicuti expertus sum in aliquot folijs eius quæ habeo. Flores sunt albi, fructus niger et rotundus, auellanæ ferè magnitudine, aut exiguæ oliuæ. Concludendo, id quod nos vocamus Canellam, nihil est aliud, nisi secundus cortex arboris, isq; interior. Nam hæc arbor duplici cortice munita est, veluti Suberis arbor, non eo tamen adeò crasso & distincto. Exemptus ergò cortex hic interior, & disiunctus ab exteriore, diuiditur in partes longas et quadratas, humi abijcitur, atq; ita per se conuoluitur, vt truncus integer vnius rami esse videatur, truncus verò interdum femoris craßitudine reperiatur. Roseum autem illum colorem Solis calore contrahit: qui, non probè paratus, candi-

Canellæ historia.

*candicans, siue cinerei coloris sit: nimijs verò ardoribus Solis adustus, niger. Sublato cortice quiescunt arbores per tres annos sine vllo prouentu, et omnes sunt siluestres. Nascitur arbor hæc in Zeilan, * Iaoia, & Malabar: sed selectissima est, quæ in Zeilan, cum qua tamen inuenitur aliqua non bona, quia habet corticem nimis crassum, neq; ita in tubulos conuoluitur, quòd sit nimis vetus & non eiusdem anni.*

* *Insula hæc est omnium laudatissima, in qua Indiaſerũt locum Paradisi fuisse, ibiq; Adamum creatum, ac etiamum in monte eius, qui altissimus est, extare vestigia primi parentis saxis infixa, & velut insculpta ad perpetuam memoriam.*

Destillant de radice certum liquorem, qui redolet Camphoram, licet fiat hoc rarissimè, quia rex Portugaliæ prohibuit, ne vulnerentur radices, vt non pereant arbores. Liquor de radice Canellæ. *Eliciunt aquam ex floribus in India plumbeo alembico aut vitreo, sed non tàm suauis ac odorata est, vt illa quam distillant ex corticibus viridibus.* Aqua Canellæ. *De exiccatis, quæ ad nos veniunt, destillant etiam aquam nostrates, licet vulgus illam perperam vocet aquam de floribus Canellæ. Vtuntur ea ad corroborandum stomachum, coliue dolores*

ex causa frigida provenientes illicò lenit, vti testatum sæpius fecit experientia, faciei colorem commendat, & oris halitum, atq; valde accommodata est ad condiendos cibos. Oleum Canellæ. *Exprimunt etiam oleum ex baccis Canellæ, sicut solet elici sæpissimè ex oliuis, quod est valde viscidum, & simile saponi Gallico, inodorum, nisi calefactum sit, tunc enim ad Canellæ odorem accedit. Eo vtuntur adversus ventriculi & nervorum frigiditatem.* Canellæ genus diuersum à priore. *Ex Philippinis, insulis conterminis cũ Chyna, attulerunt regi Hispaniæ Philippo* aliud *genus Canellæ, sed subtilioris, & ad gustum tenacis, quæ masticata inter dentes, non videtur nisi picis instar glutinosa.* Tẽperies. *Disserendo de ipsius temperamento & effectibus cum Doctore Hortega medico summæ autoritatis, & à cubiculis Maiestatis regiæ, visum ei est doctissimè, complexionem ipsius esse calidam in fine tertij gradus, et siccam in primo cum aliqua adstrictione. Ex hisce, quibus præditum est, qualitatibus colligitur, vtile esse ipsius decoctum securè in febribus, morbis pectoris, & vrinæ, & similibus intemperiebus. In*

montibus

montibus qui sunt circa civitatem S. Francisci del Quito in Peru, est etiam genus quoddam aromatis, quod vocant Canellam, & est fructus aut materia floris, qui poterit comparari copulæ glandium, nisi quòd coloris est spadicei, & vergit aliquo modo ad nigrum. Crassius autem est, & maioris concavitatis, atq; valde sapidum, vt Canella, nisi quòd non debet comedi nisi in pulvere: quia vtentes ipso pro condimento, vt canella, amittit vires & saporem. Calidum & cordiale est, & in summa vtile ad ea, ad quæ Canella, licet non tantæ efficaciæ. Canellæ species alia à superioribus.

De Calamo aromatico. Cap. II.

P*Linius lib. 16. cap. 36. & lib 24. cap. 11. tractat viginti novem species cannarum seu arundinum, inter quas mentionem facit vnius odoratæ, quæ nascitur in India Orientali. Intelligens verum calamum aromaticum Pharmacopoliorũ, qui ab Arabibus dicitur Caßab Aldiriar; in Guzarate, Vaz; in Cananim, Bache; in Malayo, Dirimgno; in Persia, Heger; & in Cuicam, Vaycam. Seritur per vniversam Indiam: vereq; constat,* Calami meminit Plinius. Locus ubi provenit.

constat, non nasci extra Indiam. Quòd si autē quis inde suspicetur nasci etiam ipsum in regione alia, quia Plutarchus vocat Arabicum, & Corn. Celsus Alexandrinum calamum: debet intelligi ita vocari, quia ex India fertur in Arabiam, & similiter in Alexandriam, postea in Barut, & Tripolim Syriæ. Hanc proprietatem hæc canna habet, quòd non olet, nisi postquàm è terra extracta fuerit: interim quò viridior est, cùm extrahitur, eò magis olet, licet nō tàm suaviter. Vires. *Familiare medicamentum est mulieribus Indis in passionibus matricis, & doloribus iuncturarum. Veterinarij multùm vtuntur ipso per hyemen: quia ex eo contuso conficiunt medicamentum, quod vocant Arata, addendo allia, cuminum, butyrum, saccharum, & parum salis. De isto dant suis iumentis mane contra frigiditates & torsiones ventris.* Essentia: quid sit. *Notandum, quòd calamus aromaticus, quo vtimur, non est radix, quia hæc parua est, & non est nisi aliqua particula cannæ aut caulis. Vnde colligitur error eorum, qui scribunt esse radicem, vt probent nostrum Calamum aromaticum*

maticum esse Acorum verũ. Licet hoc ferri posset, quòd si non est canna Calamus vulgaris, est radix eiusdem, quemadmodum Nardus Indicus, qui vocatur Spicanardi, non quòd sit spica, sed quia ita videtur, licet verè sit radix. Eadem canna hæc odorata nihil habet intus simile telæ araneæ, vti Arabes dixerunt, sed certam quandam substantiam porosam & raram, quæ videtur ipsius cor esse.

De Cardamomo. Cap. III.

QVod in officinis Cardamomum vocant, aroma est in regionibus Indiæ Orientalis benè cognitum, nisi quòd multitudo nominum, quam sortitum est ex diversitate locorum, causa fuit maximæ confusionis inter scriptores Arabes. Seritur leguminum modo, & nascitur altitudine, quando summa, cubiti vnius, cum siliqua quæ solet continere vsq; ad viginti grana. Radix est parua, & amburunt primùm terram, quò nascatur citiùs. Eo multum vtuntur Indi, quia ipsum mandunt simul cum Betre adconciliandum bonum odorem oris, pituitaq; expurgan-

Cordumeni fortè Arabum.

Grana Paradisi offic.

expurgandum caput & stomachum, licet etiam syrupos ex eo faciant. Quantum attinet ad eius differentias & essentiam, secundum antiquos & recentes: remitto ad Catalogum succedaneorum.

De Caryophyllis. Cap. IV.

Nota ne antiquis. *Dioscoridem aut Galenum mentionem Caryophyllorum fecisse, nusquam invenire licet: quámvis Plinius* Lib. 12. c. 7. *videatur aliquam habuisse eorũ notitiam, cùm scribit: Est etiamnum in India Piperis grani simile, quod vocant Caryophyllon, grandius fragiliusq́. Tradunt in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratia. Nascuntur in Zeiland, & alijs multis locis,* Vbi crescant. *sed nullibi fructifera est arbor, quàm in insulis Maluccis. Arbor Caryophylla proferens similis Lauro est, multis præd ta ramis, floribus copiosis odoratissimis, initiò cãdidis, deinde viridib⁹, & in fine rubescentibus, qui indurati, fiunt Caryophylla ipsa,* Arboris descriptio. *Clavos vocamus vulgò, Indi Calafur, & in Maluccis Chambe. Paulus* Lib. 7. *dicit vocari καρυόφυλλον, quasi Folium nucis, sed non*

respondet

respondet nomini substantia, cùm potiùs sint stipulæ & flores arboris Indicæ, nigri coloris, digiti longitudine, odorati, acres, subamari, calidi ac sicci citra tertium ordinem, multiplicis vsus, tùm in obsonijs, tùm in alijs medicamentis. Suspicantur aliqui, quòd Hispanorum Cedrus, sit arbor Caryophyllorum in India, quia si accipiatur Cedrus quando floret, & abijciantur barbulæ de floribus, remanent vt Claui: & quòd propter maximum illarum regionũ æstum fructus non perueniat ad maturitatem, nisi perficiatur in grano. Ad colligendos clauos, emundatur prius circa arborem humus: siquidem nullum genus graminis vel herbæ sub hac arbore nascitur, omnem succum siue humorem ad se attrahente arbore. Quo facto, flagellant & percutiunt altiores ramos arboris, & sic fructus decidit: quem duorũ aut trium dierum spatio exiccant, postea asseruant, & in diuersas prouincias mittunt. Magni prouentus augurium est, si arbor plures flores produxerit quàm folia: idcircò non debent nemium flagellari arbores, quia nimia & vehemens flagellatio Caryophyllegiũ

steriles

ſteriles efficit. Naſcitur autem arbor ſponte ex Caryophyllis decidentibus. Nam cùm nunquā deſit pluvia, quæ alimentum præbeat fructui, qui in terrā decidit, enaſcuntur arbuſculæ, quæ intra octennium quidem adoleſcunt, ac fructum ferunt; & durant in centeſimum. Colliguntur Claui à medio Septembris vsq; in Ianuarium & Februarium. Dubitarunt aliqui, an producant gummi hæ arbores. Sed ſi benè rem conſideraverimus, inveniemus in multa Caryophyllorum copia aliquid ex atro ruſeſcens, quod prunis iniectum fructus ipſius odorem refert. Caryophylla in ſua bonitate conſervari exiſtimant, ſi irrorantur cum aqua ſalſa, quia non roduntur à tineis. Luſitanæ mulieres habitantes in India, deſtillant ex ipſis viridibus aquam odoriferam ad paſſiones cordis. Siccum fructum mandunt commendandi halitus gratia.

Caryophyllorum gummi.

Car. conſeruatio.

Aqua ex Car.

Vſus ipſorum.

Eſt etiam in inſula S. Laurentij fructus, magnitudine auellanæ aut paulò maior cum ſuo cortice, qui redolet Caryophylla, vltra de eo nihil ſcitur.

De Costo. Cap. V.

Costus valde laudatus ab antiquis plurimũ negotij fecit rei herbariæ scriptoribus, vt intelligerent, an legitimus inveniri posset. Quæ difficultas inde maximè manavit, quòd multa & diversa eius constituerunt genera, qui de eo scripserunt, tàm Græci, quàm Latini & Arabes. Vocatur in Guzarate, Vplot: in Malaca, Pucho: ab Arabibus, Cost: à Latinis, Costus: deducto nomine, ut aliqui dixerũt à Costo rege Alexandriæ, cuius filiam narrant fuisse S. Catharinam. Describitur autem ab ijs, qui ipsum viderunt, Sambuci effigie, & Arbuti aut Iuniperi magnitudine, flores odoratos proferens. Certum ijs est, qui profecti sunt in Indiam ex Portugalia, inveniri istam plantam, & transportari à mercatoribus in Ormuz, vnde sibi prospicit Asia, Arabia, & Turcia, & vsq; in Alexandriam, & Venetias. Tamen vt vt sit, melior pars est radix. Et quòd de hac intellexerunt antiqui in vsu medicinali, constat ex ipsomet Dioscoride, qui ait, adulterari cum radicibus Helenij, quam in Hispania vlteriore

Nomirum Costi varietas.

Forma.

Locus unde aduehiat.

Lib. 1. c. 15.

vocamus Ala. Quòd si aliquis interroget, quomodo tot possint esse arbores Costi, vt Lusitani referunt, qui radicem eius in tanta abundantia advehunt. Respondemus, quòd minor eius pars est radix quæ venditur, maior autem lignum, neq; hoc maioris

Delectus. pretij est quàm illa. Præcellit is, qui intus candidus est, cortice cinereo: invenitur tamen etiam colore buxi, cortice pallescente. Tanta est odoris fragrantia præditus, vt multis capitis dolorem excitet: gustu minimè amaro, nec etiam dulci, tametsi iam senescens amarescat. Nam recens gustu acri

An duorũ generum. est, vt reliquam aromata. Atq; hinc constat, quòd cùm Arabes duo eius genera faciant, amarum & dulce, ex eo factum esse, quia cum recens est, caret amaritudine: vbi autem vetustate corrumpi incipit, amaritudinem contrahit, fitq; nigricans.

Autoris sententia de Costo. Vt autem dicam quod sentio, tanta est huius radicis confusio apud nos, et tàm exigua notitia de ea, vt satius sit vti eius succedaneo: atq; ita non est, vt tanti faciamus

Zedoaria. communem nostrã Zedoariam, quã aliqui pro genere Costi statuunt, & quidem Costi prim

primi, quem nobis Dioscorides depingit. Deinde, vti benè D. Augustinus dicit, multò melius est dubitare, in eo quod non scimus, quàm pertinaciter credere, quod non est certum. Quare, sicut copiosiùs suo loco docuimus, magis sequuti sumus opinionem Matthioli, qui substituit radicem herbæ Angelicæ benè cognitæ, quæ accedit multū ad Costū in suauitate odoris, et in acrimonia quam habet non sine aliqua amaritudine. Proinde non videntur nobis digni esse reprehensione, qui Angelicam pro Costi genere reponunt.

De Cubebis. Cap. VI.

CVbebæ (de quibus fecit mentionē Platearius cōparans ipsas granis piperis, quæ qdā existimarūt esse semē Agni casti) sunt in magno vsu apud mulieres Indiæ Orientalis macerantes ipsas in vino ad excitandū appetitū venereum, [si in coitu detineantur ore] ad excalfaciendū vētriculū, tametsi apud nos et per totā Europā vix ijs vtamur, præterquàm in Compositionibus officinarum. Arbor quæ illas producit est sylve- Vsus. Forma.

sylvestris, & similis Malo vulgari, sed minor, folijs Piperis, sed angustioribus, per arbores Hederæ modo repit. Fructus racematim cohæret, non totus iunctus, & in vno communi racemo, vt vua, sed vnoquoq́
Pretium. *grano pendente ex suo pedicillo. Tanta autem in existimatione est fructus hic etiam vbi nascitur, vt eum incolæ decoquant, antequàm efferri sinant, metuentes ne alibi satus nascatur. Hinc fieri puto, vt vbiq́ corruptioni magis sit obnoxius. Hæc à Lusitanis fide dignis accepi, qui longo tempore*
Piperis *in insula Iaua habitaverunt. Ioannes Co-*
species est. *stæus in suis annotat. supra Mesuem asserit*
In Elect. *nostras Cubebas eiusdē esse generis cum illo*
de Aromat. *Pipere caudato, quod in Benin Aethiopiæ regno nascens vulgato pipere longè acrius reperitur, quod Lusitanorum idiomate vo-*
Vide caput *catur Pimienta del Rabo. Et quia Cubebæ*
de Pipere. *quoq́ euanescunt longiori tempore, nō participant de illa acrimonia quæ requiritur. Quantùm nostræ differant ab ijs, quas descripserunt Arabes, quæ sunt verum Carpesium tàm celebratum ab antiquis, neq́ est nostrum propositum tractare, neq́ desunt*

authores,

authores graues, qui pro sufficienter demonstrato arripiunt.

De Folio Indico. Cap. VII.

DVm de Betre tractabimus, ostendetur, quantùm differat ab ipso Folium Indicum, quod Indi vocant Tamalapatra, quā vocem Græci et Latini imitantes Malabathrum nuncuparunt. Est verò Folium hoc simile folio Mali medicæ, paulò angustius & acutius, tribus per longitudinem discurrentibus neruis, vt in plantagine, benè & aliquo modo Caryophillos redolens, non tanti tamē odoris, vt offendat caput, prout solent aliæ res aromaticæ. Non aquis innatat hoc Folium, vti Dioscorides & Plinius scripserunt, sed nascitur in arbore valde alta, longè ab aquis, & in diversis locis. Quidam putarunt esse folium hoc Caryophyllorum, in quo decepti sunt manifestè, quia regio vbi nascuntur Caryophilli, est tàm lōginqua ab illa Folij, vt opus ferè sit duorum annorum spatio, quo ab vna ad alteram perveniri poßit. Dixerunt etiam esse folium Canellæ, et ꝙ nascatur in Æthiopia.

Folium Indic. Errores quorundā. Lib. 1. cap. 11. Lib. 12. cap. 26.

sed est etiam error manifestus, quia nec est in Aethiopia arbor Canellæ, nec folium Indicum. Hoc quidem verum est, quòd folia Canellæ non differunt multum à Folio Indico, licet angustiora sunt, & nõ tàm acuta, & carent tribus illis nervis. Deniq; si maiorem curam & diligentiam adhiberent Medici & Pharmacopœi Hispani, vti deceret, non opus eßet quærere succedaneum huic Folio in suis compositionibus, siquidem abundanter satis advehi poßet ex India, atq; tanta quidem copia, quæ vniversæ Europæ sufficeret.

De Galanga. CAP. VIII.

Galangæ species.

Galanga medicamentum est vsibus humanis valde neceßarium, licet Græci non cognoverint, neq; vix etiam Arabes, apud quos vocatur Caluegia. Est verò duplex. Vna minor, & odorata, quæ advenit ex Chyna: Altera maior, & craßior, non tantæ efficaciæ ac prior, quæ nascitur in Iaua. Minor duorum palmorum altitudine fruticat, folijs Myrti, radice nodosa, sponte nascens. Maior elevatur duos cubitos in altum,

tum, folijs Myrthi mucronatis in modum cuspidis lanceæ, radice crassa, & nodosa Harundinis modo, flore candido, fert semẽ, ex quo nascitur & seritur in hortis, licet in pauca quantitate, interim tamen tanta, vt acetarijs & huius gentis vsui medico sufficiat: seritur tamen hæc maior duntaxat radice, vt Gingiber, non semine. Loquor de maiori, quia altera est semper sylvestris. Si quis cupit cognoscere, quàm confuso & incerto ordine tractatum fuerit in libris Arabum de hac specie, legat Avicennã cap. 196. & 321. *lib*. 2. *Cæterùm omnino explodenda est Monachorum, qui in Mesuen Commentarios ediderunt, opinio, quibus videtur esse radix Schœnanthi, quam certum est inutilem esse in vsu medico, & nasci in Arabia ac Caliate: Galanga verò non nascitur nisi in provincijs Chinæ & Iauæ ab Arabia procul distantibus. Adulteratur à quibusdam, qui Cyperi radices contorquentes, aceto forti & pipere macerent. verùm impostura facilè deprehenditur: quippe abraso exteriori corce, nulla in radicis substantia acredinis nota, nullusq́; Galangæ sapor percipitur.*

Monachorum error.

Adulteratio.

Galangæ similis Radix.

Ex Florida, & portu S. Helenæ advehitur radix rotunda, quæ Galanga esse putatur & figuræ & virium ratione. Longa in suo exortu est, & cum nodis tanta arte, vt incisis singulis remaneat vt corona, quare perforant, et faciunt globulos seu sphærulas, quas Indi de collo suspendunt. Radix hæc exiccaca & indurata, foris nigra est, intus alba, et valde aromatica. Planta huius radicis non est magna, sed folia sunt ampla, & notabilis magnitudinis, cum ramis qui extenduntur per terram. Habetur calida & sicca in secundo gradu. Vsus harum radicum inter illos Barbaros est, quòd eas lapidibus conterunt, totumq́ corpus cum illis affricant, propter odorem gratũ, cuius valde amantes sunt, vt faciant cum anima & corpore maiora conuiuia dæmoni. Dicunt etiam sic cutim constringi, & corroborari membra. Vtilis est morbis frigidis, vt Galanga.

De Gingibere. Cap. IX.

Zingiberis forma.

GIngiber planta est folijs similibus Iridi aquaticæ, aut Gladiolo, magis tamen nigrican-

nigricantibus: caule trium aut quatuor palmorum altitudine aßurgens. Ludou. Romanus mentionem faciens radicis, scribit erui nonnunquã pondo unciarũ duodecim: sed non omnibus eandem eße amplitudinem. Plùs in profundum non extendi, quàm ad ternos vel quaternos palmos ad summũ. Et cùm extrahitur, relinqui portiunculam de ipsa, terramq́ radici aggeri, ceu semen ipsius radicis, proximo anno eruturi fructum, h. e. Zingiber. Nascitur in omnibus provincijs Indiæ Orientalis, quas novimus, semine aut radice satum. Nam quod sponte nascitur sylvestre, exigui momenti est respectu prioris. Melius & magis visitatum est illud de Malavar, deinde de Bengala, postea de Dabul, et Baz aim, quod non habet multam acrimoniam ob nimiam eius humiditatem. Colligunt illud per mensem Decembrem & Ianuarium, deinde aliquantulum siccatum limo obducitur, non vt ponderet magis, sed vt meliùs & diutius conservetur in sua humiditate naturali. Cùm adhuc recens est, conscindunt eam in frusta, atq; cum oleo, sale & aceto in ace- Natales. Electio. Collectio. Vsus.

Gingiber Virens officinarum.

tarijs edunt: atq; etiam coquunt cum carnibus et piscibus. In Bengala vtuntur Conserva huius radicis recentis, lavātes ipsam primùm sæpius, & per dies aliquot macerantes, deinde saccharo condientes. sic enim suavissima ad comedendum efficitur, absq; acrimonia quæ ingrata sit, neq; filamenta in ore relinquit dum comeditur: quemadmodum accidit in cariosa aut inveterata, quam macerant primùm in lixiuio forti, deinde condiunt saccharo. Inter alia simplicia quæ anno præterito ex nostris Indijs missa sunt ad Regem, fuit etiam Gingiber quoddam recens. Et non est mirum, quòd etiam hæc radix, vt alia multa, quæ credebamus inveniri in India Orientali, ex nova Hispania adferantur, quādoquidem similiter, vt quidam testantur, appropinquat & confinis est China regio tàm longinqua, cum ciuitate Mechico, mediantibus aliquot fretis.

CAP. X. De Maci, & Moscata nuce.

Macis à Macere differt.

M*Acis officinarum est aroma delatum ad nos ex India Orientali. Quòd autem differat*

differat à Macere Græcorũ, & quòd Macer non cognoſcatur, ſatis probatum eſt à recentioribus. Vnde colligitur, quàm grauis aliquorum error ſit, qui absq; vllo reſpectu duo hæc vocabula confundunt, præſertim in compoſitionibus medicinalibus Arabum, in quibus dùm legitur Macis, magna præſumptione cuiusdam elegantiæ ſcribunt Macer, qui valde differt à Maci in facultatibus & temperamento. Eſt autem arbor, quæ Macin producit et Moſchatam nucem, ſimilis Pyro, tàm magnitudine, quàm folijs, licet brevioribus & rotundioribus. Myriſticæ arboris forma: et Nucis. *Fructus eſt coopertus cortice duro, qui per maturitatem dehiſcit, in modum erinacei Caſtaneæ, & detegitur alius cortex rubens, magis tenuis, vt tela, quæ nucem cum ſuo cortice ambit: & hæc Macis eſt. De primo cortice, qui externus eſt, cùm odoratus ſit & grati ſaporis, faciunt Conſervam, quæ benè laudatur in morbis cerebri, vteri, & nervorum. Exſiccata nuce, dehiſcit etiam ſecundus cortex, et flacceſcente colore rubeo, cõvertitur in flauum ſeu aureũ. Hic cortex, qui vocatur Macis,*

triple

triplo plus valet, quàm ipsa Nux, & inter alias utilitates, quas habet, est oleum quod ex ipsa faciunt valde probatum in morbis nervorum, quod communiter adfertur ex Banda insula, in qua nascitur hæc arbor: quámvis etiam tradunt inveniri in Maluccis insulis, sed infructiferam, ut & ea, quæ in Zeilan provenit.

Oleum.

De Nardo Indico. Cap. XI.

Non est dubium, multò plura aromata, maioriq́; quantitate, & minùs adulterata ad nos adferri, vilioriq́; emi, quàm antiquitus fiebat: quòd nunc Lusitanorum navigationibus Indiæ nobis apertæ sint, ipsæq́; regiones, quæ aromata gignunt, longè cultiores nunc sint, quàm veterum tempore fuerunt. In eorum numero Nardus est, quæ legitima & sine adulteratione ad nos importatur, licet interdum aut maris humore sibi ascito situm contrahat, aut senio suaveolentiam illam amittat, qua initio prædita erat. Ex quo quidam dixerunt Nardum officinarum non esse legitimam Nardi spicam, nō tàm suavem invenientes odorem,

Nardi spicā non fucatam habemus.

odorem, ac ſperabant. Quibus ſatisfit, ſi dicatur cum Dioſcoride, quòd ſi non eſt Syriacus, ad minus erit Indicus, qui non tàm fragrans eſt, quorum mentionem fecit Gal. lib. 2. de Antidotis in deſcriptione Mithridatici. Ab Arabibus vocatur Chambul q. d. Spica, licet Autor quidā barbarus illam vocet Simibel & Sumbel: quia linguam Arabicam ignoravit: niſi malimus tempore paulatim fuiſſe corrupta vocabula. Naſcitur Nardus in provincijs Regni Dely & Decan, iuxta fluvium Gangē. Genus ipſius vnicum duntaxat reperitur in quodā monte, qui altera parte Orientem ſpectat, & altera Occidentem, ad quem ſita eſt Syria multis regionibus ab India diſcreta. Naſcitur quoq; in alijs multis eius loci regionib⁹, ſed quaſi ſemper ſeminatur, & vix ſponte abſq; cultura provenit. Certè radix eſt Nardus, extendens ſuprà caulem circiter tres palmos longum, cùm quidem eſt longiſſimus, & cum ipſo alios multò breviores: in ſumma radice ſpinæ producuntur, licet producantur quoq; aliæ per caules. Talis venditur in Cambayete, Gogua, alijsq; portubus

Natales.

Vnde etiā Spica Syriaca dicitur, non q in Syria naſcatur.

Nardi deſcriptio.

tubus maritimis, quo appellunt mercatores ex Persia & Arabia: potißimam tamen partem ab indigenis absumi ferunt, atq; propterea dicunt, quòd noster Nardus non sit ille antiquorum, aut ob ea quæ ante dicta
Lib.12.c.12. *sunt, aut quia Plinius dixit, quòd vendebatur suo tempore magno pretio. Sed ante responsum est, res hasce nostris temporibus magis eße cognitas. Fabulosum est, quod*
Lacuna. *Commentator quidam Dioscoridis scribit ex Nardo Indica fieri Pisum venenum, quia neq; etiam Indis ipsis quicquam de eo constat.*

De Pipere. CAP. XII.

GRæci vocarunt nostram Piementam Πέπερι, *Latini Piper, & Itali Pepe.*
Piperis natales. *Maior quantitas ipsius nascitur in Malauar, tota ea maritima regione, quæ à promontorio Comorim vsq; ad Cananor pertingit, vbi vocatur Molanga, quámvis nascatur quoq; in alijs partibus Indiæ.*
Descriptio. *Plantatur autem Piperis arbor ad radices alterius arboris, Palmæ aut Faufel, per quas veluti conuoluendo se in altũ ascendit.*

Radix

Radice parua est, folijs nec multis nec magnis, sed minoribus folijs Aurantij, gustu acribus, accedentibus ad saporem Betri. Fructus vuarū modo racematim nascitur, sed minor, et semper virens, vsq; ad medium Ianuarium, quo ad suam maturitatem peruenit, & siccatur. Est duorum generum haec arbor in Malavar: Vnum Piperis nigri, & alterum albi. Est & aliud Longum in Bengala, quae distat à Malauar quingentarum leucarum spatio. Vnde apparet, in eundem errorē incidisse et Graecos & Arabes, dicentes quòd tria illa Piperis genera proveniant ex eadem arbore. Dioscorides tamen, quem secuti sunt plurimi, meretur veniam, siquidē ex falsa aliorum relatione scripsit, cuius causa fuit maxima locorum distantia, neq; tales institutae fuerunt navigationes per mare, vti nunc. Inter verò eam arborem, quae Piper nigrum fert, et eam quae albū, tàm exigua est differentia, vt à nemine quàm ab incolis dignosci possint: nisi conspiciantur cum suo fructu maturo. Quae autem longum Piper profert, non plus habet similitudinis cum superioribus, quàm

Genera.

Lib. 2. cap. 153.

bus, quàm castanea cum ouo (Candidi arbor rarior est & exquisita, ac vix invenitur nisi in paucis locis. Ex Carthagine, & toto Continentis tractu adfertur genus quoddã Piperis longi, longè acrius quàm Orientale, quo vtuntur in condimentis. Ex omnibus tribus generibus Piperis mixtis cum melle componitur medicamentum vocatum Diatrionpipereon, quod in omnibus morbis frigidis & humidis ventriculi salubre admodum est remedium, cuius calor non transit primas venas, sed confortato stomacho & resolutis flatibus ventris quiescit et consopitur eius virtus. Invenitur aliud genus Piperis, quod vocatur Canarinum lingua Malauarica. Est autem id concauum, & vtuntur eo in pituita à capite euacuanda, dentiumq́ doloribus: alij ad profluuia alui, & vomitus. Invehi quoq́ solebat Antuerpiam aliud genus Piperis, quod Lusitani vocant Pimienta del Rabo, h.e. piper caudam habens. Sed metuens Rex Lusitanus ne legitimum Piper alterius invectione vilesceret; id amplius invehi edicto vetuit. Memini me videre in Madrid aliud

Diatrionpipereon.

genus

genus Piperis, quod Serapio cap. 337. de grano Zelim vocat Aethiopicum, aut piper Nigrorum, involutum in quibusdam siliquis, quo vtuntur Aethiopes contra dolorem dentium molarium. Eius figura ad vivum depicta est apud Matthiolum. Ab istis Piperibus dictis multùm differt Piper Indorum Occidentalium, quod vocant Axi. Arbor valde cognita et frequens apud ipsos est, quin etiam apud nos, quia vix hortus est, in quo non reperiatur propter pulchritudinẽ fructus quẽ fert. Calefacit multùm, et grana producit varij coloris pulchri, magnitudine digiti. Aliud Axi producit grana colorata & rotunda, craßitie Cerasorũ: aliud fert ipsa viridia & minora: aliud emittit picta colore nigro vergente ad cœruleum obscurum. Vtuntur hoc Pipere in condimentis & iusculis etiam apud nos. Et quia supplet vices Piperis legitimi, Auicenna vocat hoc Piper indicum, Zinziber caninum: Plinius Piperitidem & Siliquastrum, cuius complexio est calida et sicca ferè in quarto gradu. Lib. 19. cap. ult.

E TRA-

TRACTATVS III.

De Arboribus tùm sterilibus, tùm fructum ferentibus, Herbis, Radicibus, atq; Lignis.

De Arbore tristi. CAP. I.

Goa caput est totius Indiæ Orientalisq; tractus.

Etymon fabula explicatum notabili.

Metamorphosis quædam Ouidiana.

INvenitur in vrbe Goa arbor, quā è Malaca allatam asserunt, quæ non ostendit suos flores, nisi vbi Sol occidit vsq; ad eius ortum: [quo decidunt flores, & tota arbor cum suis folijs quasi marcida apparet] quā ob rem dicta est Arbor tristis. De origine nominis Indi sic fabulantur. Fuit nobilis quidam Parisatico dictus, cuius pulcherrima filia Solis petebatur amoribus, quæ cùm tanto amatori virginitatis copiam fecisset, ab eodem novo alterius puellæ amore correpto deserta fuit. Inde moeror mulieri, ex moerore desperatio, ex desperatione mors, quam sibi ipsa intulit. Ex cuius cremata cineribus arborem hanc suscitatam ferunt, quæ etiamnum doloris ac indignationis manifesta signa edit, dùm Sole oriente flores

quibus erat pulchritudine cōſpicua amittit, ac folia claudit, nocturnisq́. amica tenebris, luctus æterni teſtimonium præbet.

Exiſtimat Cluſius fieri aut ob occultam quandam contrarietatem, aut ob ſucci tenuitatem, quem ſolis radij conſumunt: quia quos Sol non attingit, diutius in arbore hærere ſolent.

Magnitudine eſt Oleæ, folijs Pruno ſimilibus, floribus odoratiſsimis. Nullius quod ſcitur in medicina vſus ob eorum delicatam & raram texturam: niſi quòd florum pediculis, qui lutei ſunt, eius loci incolæ vtuntur ad tingendos cibos loco croci. Et volunt nonnulli aquam ſtillatitiam florum oculis vtilē eſſe admoto lineo panno huic intincto. Florum tàm fragrans odor eſt, vt priuet odore alios duos flores odoratiſsimos Indiæ. Priores dicti ſunt Mogori, Arantiorum floribus (Azahar) multò odoratiores: alij Champe, odoris acutioris, quàm Liliorum. Hi ſunt flores, quibus ſimul cum roſa reddunt tributum Regibus, quibus ornant ſua palatia. Odores florum tantopere expetunt Indi, vt ſæpè cibo abſtineant, vt habeant vnde odores ſibi comparare poſsint, ideoq́. Forma. Vſus. Mogori. Champe. Indi ſummopere dediti rebus odoriferis.

E 2 natu-

naturaliter magis luxuriosi & addicti veneris voluptatibus censentur. Et fama est eò procedere ipsorum amentiam, vt census & tributum, quod singulis annis Regi Bisnaguer persoluunt ex solis floribus ascendat ad quinq; millia ducatorum.

Ad propositum Arboris tristis, offert se illa herba valde communis in Castilia, dicta Lib. 6. de Pl. c. 25. Hesperis *à Theophrasto, quā scribit Plinius* Lib.21.c.7. *nomen id inde inveniſse, quia noctu magis olet. A quibusdam vulgò dicitur Alheli de campo (viola campi) & benè, quia nihil interdiu & in præsentia Solis olent flores, qui sunt melior pars totius herbæ, adveniente & ad occasum Solis neq; est viola, neq; iasminum maius, neq; suauioris fragrantiæ herba, vt poſsunt experiri ij, quicunq; per æstatem serius in campos progrediuntur. Sed quia de hac ipsa tractavimus in alijs libris magis particulariter: dicta nunc sufficiant.*

De Auacari. CAP. II.

IN *provincia Malauar invenitur arbor, mediocris magnitudinis, fructu, folijs, & floribus Myrto valde similis, quæ Auacari dicitur,*

dicitur. Nascitur in montibus & olet ut nostrum Trifolium. Fructus eius valde adstringit, quare magnæ est efficaciæ ad fluxus ventris è causa frigida. Eundem effectum præstat cortex arboris, uti experientia constat de quibusdam inveteratis fluxibus, quibus nullum aliud remedij genus profuit, sumpto huius plantæ cortice trito & in aqua oryzæ macerato in ptisanæ modum, feliciter sanatos esse, qui eis laborabant.

In Orbe novo est Arbor *quædā magna, quæ folia habet ad figuram cordis, et fructu caret. Duos habet cortices: unū crassiorem, valde solidum, & durum, qui tàm substantia, quā colore admodùm similis est Guayaco; alius est magis subtilis & subalbidus, atq; amarus cum aliqua adstrictione, nec non aromaticus. Magni illā faciunt nostri Indi, quia illa utuntur contra quemuis fluxum, accipientes pulverem ipsius pondere drachmæ vnius, aut paulò plus, dissoluti in aqua chalibeata, aut vino rubro.* Anonymos arbor.

De Caranda. Cap. III.

Arbor vocata Caranda est arbuti magni-

gnitudine folijs similibus, nisi quòd sit densior, redolet Matrisyluam. Fructus est similis pomis paruis, viridis in principio, & niger cùm maturescit, gratissimo vuarum sapore, vt ex eo succum extrahant, qui loco vini sit, quemadmodũ solent facere in Hispania, & vocant Cydram. viscidus succus is est, tenax, & coloris lactei. Comedunt quidam fructum hunc cum sale, antequam maturetur: atq; præparant cum aceto & muria, vsuiq; reseruant ad confortandum ventriculum, & excitandam appetentiam. Ouiedus lib. 8. cap. 12. suæ historiæ scribit, quòd in Hispaniola insula pulchra inuenitur arbor, vocata Auzuba, *fructum habens suauissimum, ijsdem præditam qualitatib⁹, quæ modò narratæ sunt de Caranda.*

De Iaca. Cap. IV.

Iaqua, siue Iaacea.

ARbor est in India prægrandis, quæ producit fructum suum in summo caudice, non in ramis, vt aliæ arbores, & est similis in figura & magnitudine Meloni, & quandoq; maior. Hic fructus est viridis foris, parte interiori flauescit, multis spinulis

ſpinulis inſtar Erinacei, ſed ijs mollibus, circummunitus. Continet in ſe magnum numerum nucum, quæ ſimiles ſunt Caſtaneis tectæ duro putamine, cortice, ſiliqua. Cortex totius iſtius fructus habet ſaporem Melonum, ſed eſt difficilis concoctionis, ita vt comeſtus reddatur vomitu. Nuces verò intus natæ, elixantur & aſſantur, abiectoq́ putamine (qui nullius vſus eſt) caſtanearum modo comeduntur. Vocatur hic fructus in Malauar, Iaca: in alijs locis, Panaz. Naſcitur autem ſolùm in maritimis. Vſus medicinalis huius fructus, qui ſit cognitus, eſt ſiſtere profluvia alui. Ludov. Romanus fecit mentionē iſtius arboris lib. 5. cap. 15. ſuarū navigat. vbi non ſatis prædicare poteſt fructus excellentiam, atq; ininter alia refert produci in caudice ſubtus folijs, vt Sicomorus, de quo legimus in Sacra Scriptura, quòd in arborē illam aſcenderit Zachæus, vt poſſet videre Chriſtum, ſiquidem ſtatura puſillus erat. Lucæ 19.

De Iamgomas. Cap. V.

IN agris atq; hortis de Baçayn, Chaul, & Bate-

Batequala, locis Indiæ Orientalis, nascitur sponte arbor, quam Indi vocant Iangomas, magnitudine & proceritate Pruni, similis illi in folijs, sed spinis multis obsita. Flores sunt albi, fructus similis Sorbo, valde adstringens. Cùm primùm prodit, Strobilo persimilis est. Retulerunt viri fide digni, optimam serendi rationem esse, si fructus, postquàm eum certa quædam auis ederit, excretus vnà cum excremento seratur. Faciliùs enim hac ratione è terra emergit, citiusq; fructifera fit arbor. Illud ipsum dicitur de Visco quercino (vocamus Muerdago de Robbe) quia valde excellens & perfectũ viscum fit ex eodem fructu comesto à turdis. Ad quem effectum in Calabria & per totum regnum Neapolitanum, solent seruare turdos in caueis & cum tali fructu ipsos custodire. Vnde manavit proverbium Plauti: Turdus exitium sibi cacat.

De Negundo. Cap. VI.

INvenitur in Balaguate & Malauar arbor quædam Persicæ magnitudine, in ramis adeò fertilis, vt si recisi fuerint, frequentiores

quentiores maioresq́, quin & elegantiores renascantur, folijs Sambuci, aliquantulum hirsutis. Flos albus, fructus niger, Piperis magnitudine, aut paulò maior, quo vtuntur Malauarenses in suis cõdimentis. Vulgare nomen est Negundo, nonnulli in Balagate Sambali appellant: in Malauar, Noche. Multis facultatib⁹ prædita est. Decoctum ramusculorum tenuiorum simul cum folijs, aut hæc cocta et trita, sunt summè vtilia ad sugillationes & maculas cutis ex plagis, modò nõ adsit vulnus. Friguntur quoq́ ipsa in oleo ad eundem effectum, quia resoluunt tumores et curant feliciter. Frequentissimus eius est vsus, vt in omnibus doloribus vel frictũm cum oleo, vel decoctum applicent. Vtilem perhibent esse mulieres ad iuvandum conceptum, si vel eius succus, vel aqua cocta bibatur. Masticata folia, oris halitum commendant. Et quia participant de aliqua acrimonia, vt Nasturtium, colligitur calidum esse ipsius temperamentum. Et quoniam experti sunt quidam resistere stimulis Veneris, contenderunt esse Agnum castum, seu Viticem: alij ex vulgo Piper, Hallucinatio aliquorum.

propter similitudinem fructus. Sed vtrique valde aberrant, quoniam magna reperitur differentia.

De Nimbo. Cap. VII.

INdi vocant Nimbum quandam arborem Fraxini magnitudine, folio Oleæ, acutiore tamen, & per ambitum serrato. Flos albus, & fructus exiguis oliuis est similis. Vtilis est hæc arbor in vsu Medico. Nam folia trita, & vulneribus cum succo Limonum imposita, miraculosè ea sanant. Foliorum succum vtilem esse ferunt lumbricis necandis, cum Balaguate incolæ, tum Malauarenses: quod rationi consonum est, cùm nonnihil amaritudinis possideant. Exprimitur in Bisnager et Malauar oleum ex eius arboris fructu, quod mercimonij gratia in Goam & alias provincias Indiæ deportatur. Vtilissimum id est ad nervorum dolores, si eo calido inungantur.

De Ambare. Cap. VIII.

Fructus *INvenitur in India Portugalensi fructus vocatus Ambare, magnitudine nucis Iuglandis, nullius in medicina vsus. Solent eo*

Indi cibos condire cum aceto, vt palato reddantur gratiores, vt hîc cum pomis cibi præparari solent. Maturus boni odoris est, grataq; aciditate commendabilis. Operitur cortice quodam duro, qui viridis est à principio, postea rubicundus. Hic est celebris ille fructus, qui Amba dictus est à Ludovico Romano lib. 5. Navigat. cap. 15.

De Anacardio. Cap. IX.

Græci recentiores, qui habuerunt aliquam cognitionem Anacardij, ipsum ita vocarunt ob eam similitudinem quam habet et figura et colore cum corde. Magna eius abundantia est in Cananor, Calecut, & alijs regionibus Indiæ Orientalis. Serapio falsò citat Galenum, ac si eum fructum cognovißet. Dicunt aliqui facultatẽ ipsius venenatam eße & mortiferam, quod est contra experientiam: quia Indi dant ipsum infusum in sero lactis asthmaticis, & ad lumbricos necandos: Viridis muria conditus aßumitur in cibis, vt Olivæ. Hoc quidem verum est, quòd ipso sicco vtuntur loco caustici aut ruptorij contra strumas, vnde Etymon. Natales. Cap. 356. Vires.

dici

dici posset, participem esse alicuius caliditatis igneæ [vrentis] quãdo videlicet siccus est fructus, quia humiditas superflua in viridi frenat & impedit vires caloris. Tota India huius cũ calce misti vsus est ad pannos obsignandos. Habentur fructus hi pro calidis & siccis in tertio gradu, iuxta alios in quarto, maximè ij qui nascuntur in monte Siciliæ Aetna, dicto alio nomine Mon Gibello, qui semper ardet, & in alijs montibus circum vicinis eiusdem regni, vt sunt Vulcanus & Astrongile. Fit (licet rarissimè) in officinis quædam confectio vocata Anacardina propter hunc fructum, quam Mesue dicit nuncupari etiam confectionem prudentum, quòd faciat bonam memoriam. Quàm vis etiam dicat valere ad accendendas & excitandas febres in morbis valde frigidis: tamen in vtroq; est periculum, sicuti experientia testatum fecit, præsertim de memoria, quã aliqui cùm recuperassent beneficio istius medicamenti, inciderunt in diminutionem iudicij, imaginatiuæ, & ratiocinatiuæ.

Tẽperies.

Anacardina confectio.

Solet adferri in Lusitaniam aliud genus

Anacar-

Anacardij, quod vocant Caious, *ex regione Brasiliensi. Nascitur ex arbore magna, quæ habet folia vt pyrus, & fructum instar oui anserini tàm magnitudine, quàm figura, qui est etiam plenus succo acido, siue acuto, qualis est in Anacardio vsuali. Habet duos cortices, inter quos inuenitur oleum, & nucleus albus esui suauis, vt sunt pistacia vel nuclei pinei, quo tosto vtuntur eius loci incolæ ad complementum sui appetitus.*Oleo pro magno secreto vtuntur aduersus impetiginem & scabiem.*

Caiones, qui non videtur proprij Indiæ Orientalis.

* loco bellariorum. alij: ad excitandam venerem.

Occurrit hìc alius fructus aut semen allatum ex noua Hispania, quod vocatur Cevadilla *propter similitudinem, quam habet cũ nostro hordeo tàm in spica, quàm in folio, quod est causticorũ omnium fortissimum, de quibus vnquam auditum est, saltem ex plantis in tanto gradu, vt si cauterio opus sit ad absumendã carnem putridã, puluis eius stratus in vulnus, eundem effectum reddit, quem faceret ignis ipse actualis. Quòd si autem volunt infringere vires istius seminis, puluerem miscent cum aqua rosacea aut plantaginis, humectãtes in ipsa aqua*

Hordeum Hispanis Ceuada dicitur.

Causticum validissimum.

aqua panniculos aut filamenta [turundas] atq; ponunt in superficie vulneris aut cancri, mox succurrentes postea alijs medicamentis quæ carnem generant & cicatricem inducunt pro arbritrio Chirurgi docti et experti. Quamvis vt verùm dicã, si quis esset talis, vt cognosceret facultates nostrorum medicamentorum ordinariorum, quibus hîc vtimur (quæ non sunt pauca) posset facilè istorum & similium vsu carere, nisi esset ex curiositate quadam, & fieret præsertim ad agendas infinitas gratias nostro Creatori, & Redemptori mundi, qui sparsit in vniversa terra & mari abundantiam plurimã remediorum, largiendo hîc vnum, & illîc alterum.

De Ber. Cap. X.

IN regionibus Indicis Orientalibus, Canara & Decan, nascitur fructus, quẽ vocant Ber & Bor, & in Malaca Vidaras. Gustu suavis est cum aliqua adstrictione, licet nunquam perveniat ad perfectam maturitatem. Arbor quæ ipsum producit est vt Pomus, licet spinosa & cum folijs rotundis.

Quidam existimant eſſe Zizipha noſtræ Hiſpaniæ, ſed decepti ſunt ſimilitudine, vt multis alijs in rebus ſolet accidere. Error.

De Betre. Cap. XI.

BEtre Indicum eſt folium ſimile folio Mali aurei, ſed longius et anguſtius cum lineolis & radijs veluti venis. In inſulis Maluccorum producit fructum retortum, lacerti caudæ ſimilem, quem comedit illa gens, propter gratum ſaporem, quem in eo deprehendunt. Seritur autem vitis modo, adduntur{q́}, ſtipites & pedamenta per quæ repens in altum ſuſtineat ſe inſtar noſtræ Hederæ. Alij maioris quæſtus gratia colunt cum arboribus Piperis, aut Arecæ, cuius fiet mentio in capitulo de Fauſel: at{q́} ita pulcherrima vmbracula conficiunt, modò adhibeatur cura et diligentia in frequenti eius irrigatione. Naſcitur in omnibus locis maritimis Indiæ Orientalis, quos norunt Luſitani. In Terra firma non invenitur, ſi non translatum ſit ex locis mari vicinis. Non petit locos frigidos, qualis eſt China; ne{q́} multùm calidos, vt eſt Mozabique Serendi modus. Natales.

Error quorundam de huius essentia. *bique & Sofala. Decipiuntur qui putant eandem esse rem Betre, & Folium indicum vocatum ab antiquis Malabatrum, vt apparet in textu Arabico Auicennæ, qui cap. 259. lib. 2. scribit de folio Indico, quod vocat Cadegi Indi, & 707. de Betre, quod vocat Tembul. Sic etiam percontanti ex quouis Arabe, aut Aethiope, quid sit Betre, dicet subitò Tembul.*

Cõplexio. *Eius Temperamentum dicit Auic. esse frigidum in primo gradu, et siccum in secundo. vnde apparet librum esse deprauatum, quia quantum ex odore & sapore colligere licet, constat esse calidum & siccum in fine secundi.*

Mixtura Betri cum alijs: de qua Amatus Lusitanus Com. in 1. Dioscor. enarrat. 11. *Est vsitatum admodùm apud Indos: & quia delatum in ore amarescit, solent miscere Arecam, & parum calcis factæ ex conchis crematis, atque ita præparatum dicunt esse valde suaue. Alij addunt Lycium: (quod est succus inspissatus certi arbusti) & potentiores Camphuram de Burneo, alij Lignum aloës, Moschum, aut Ambarum.*

Vsus. *Sic autem paratum, adeò gratum fit, vt ditiores ferè semper ferant in ore propter bonitatē odoris quem expirat, inprimis illi qui coram magnis Dominis*

Dominis comparere debent, siquidem hoc summæ incivilitatis est apud ipsos, non habere halitum odoratum. quare si vulgaris aliquis loquitur cum aliquo maiore, sepit quasi os obiecta manu, ne inde teter aliquis odor exeat. Et mulieres quoq; quando cum viris debent concumbere, mandunt Betre antequam loquantur cum ipsis. Vtuntur quoq; ipso post cibos; certò scientes, quòd si non comedissent tunc temporis, cibus illis rediret in os, & paterentur nauseam, atq; alia ventriculi incommoda. Solent ab eius esu abstinere per aliquot dies, quib' sanguine aliquis iunctus mortuus fuerit, & in quibusdam, quæ obseruare solent, ieiunijs. Caritas eius magna est in locis desertis & longiùs à mari sitis. Ideò fertur Nizamoxa potentissimum illum regem Balagate consumere in solo Betre singulis annis trigesies mille aureos Lusitanicos. Hoc est illud quod habent Indi pro singulari fructu & regali, eoq; abeuntes donant & honore afficiunt, implentes illis sacculos aut chirothecas in signũ licentiæ abeundi. Habetur pro meliori benè maturum, coloris rufi, Delectus.

 tametsi

tametsi nonnullæ mulieres præferant quod immaturum est, quippe quòd maiorem sonum edat in ore dùm masticatur: vt sit proprium ipsis velle audiri & videri vbicunq; fuerint. Corrumpitur facilè, si recens collectũ ex arbore diutius manibus tractetur.

Coca Occidentalis. *In multis locis nostræ Indiæ, ipsi incolæ admodum delectantur quarundã radicum, ramorũ, & herbarũ vsu. Perinde ac in Comar ea ciuitate Antiochiæ, in qua maior pars populi, qui subiectus est ciuitati Cali & Popaia tenet in ore folium simile Myrto, quod vocant* Coca, *à summo mane vsq; dum eunt cubitum, cuius vsus est in tota Peru, atq; sic dicunt se parum sentire famem vel sitim, atq; vires & robur corporis inde sibi confirmari. Seminatur apud Andes à Guamanga vsq; ad vrbem Platæ. Producunt id paruæ quædam arbores, quibus diligentiam multam adhibent, vt illinc colligant folium, quod vocant Coca, quod siccant ad Solem, & postea reponunt in calathis longis et angustis, quorum singuli non minus capiant quàm vigintiquinq; libras. Fuit in tanto pretio, vt singularum hære-*

ditatum,

ditatum, in quibus seritur, (in Cusco, ciuitate Pacis, & Plata) pretia valerent ad octoginta milia ducatorum, & ad sexaginta, & ad plura, ac pauciora, singulis annis. Quòd si alicui committebantur et commendabantur Indi, mox ob oculos ponebantur canistri Cocæ collectæ. Illam accipiebant, vt venderent apud solinas Potosias, atq; adeò eius culturæ operā dederunt, vt nunc non ampliùs tanti sit pretij, quanquā nunquā desinet esse in pretio. Cognoscimus enim multos in Hispania, qui euasêre diuites ex huius solius Cocæ mercimonio.

Notatu dignum hîc est, Coca, de qua modò dictum, rem esse multùm differentem ab ea, quæ vocatur vulgò Coca de Levante, *quod est granū allatum ex regione Orientali, simile baccis Lauri, de quo nobis non constat, quæ planta ipsum producat. Quamvis, vt notat Ianus Cornarius, non desint, qui dicant esse fructum illius speciei Aristolochiæ, quæ vocatur Clematitis. Vtuntur hac Coca piscatores ad congregandos in vnum locum pisces, facientes ex ipsa massam cum succo Hyosciami & Pa-* Coca Orientalis.

paueris, addito aneto, & caseo veteri.
Lib.25.c.8. *Plinius scribit piscatores in Campania vocare venenum terræ radicem Aristolochiæ rotundæ, coramq́ se cõtusam immista calce, atq; in mari sparsam: advolasse pisces cupiditate mira, statimq́ exanimatos fluitasse.*
De Plinij & Med. error. *Sed iuxta Nicolaum Leonicenũ error manifestus est Plinij, tribuere effectum Aristolochiæ, qui debet attribui radici Cyclaminis, quæ alio nomine dicitur Panis porcinus, & quibusdã Græcis ἰχθυοφυρὸν, quod significat venenũ piscium, quia ipsos enecat.*

De Brindones. Cap. XII.

INvenitur in regione Indica Lusitaniæ fructus vocatus Brindones, qui extrinsecus aliquo modo ruber est, intrinsecus verò sanguinis modo rubet: gustu est admodum acido. Solet aliquando parte exteriore esse niger, sed hic color maturitate conciliatur, nec adeò acidus est vt superior, qui tamen non minùs quàm ille intus rubeat. Multorum palato valde sapidus est hic fructus, licet alijs malè sapiat propter nimiam sui aciditatem. Communiter eo vtuntur tinctoe

res. Cortex seruatur, atq; mari aliò transuehitur ad conficiendum acetum, quod iam fecerunt Vlißiponæ Lusitani.

De Carambolas. CAP. XIII.

IN Goa inuenitur fructus magnitudine minoris oui gallinacei, in quatuor quasi partes distinctus, colorem habens flauum, qui in Malauar Carombalas vocatur, & in alijs prouincijs Camariz, & Bolumba. Exhibetur in febribus quotidianis, & eius succo cum alijs rebus mixto fiunt collyria contra inflammationes oculorum. Plerisq; benè sapit hic fructus, & vtuntur syrupi acetosi loco. Faciunt ex ipso conseruam gratissimi saporis.

De Cassia fistula. CAP. XIV.

GRæci antiqui non fecerunt mentionem Cannæ fistulæ, quia eam non cognouerunt, aut quia non probarunt in medicina. Arbor ipsius est Pyri magnitudine, folijs mali Persicæ, angustioribus tamen & viridioribus: concesso etiam, quòd similia sunt folijs Siliquastri, propterea, & maximè propter fructum vocarunt ipsam aliqui moderni

Caßia fistularis, vel Solutiua. Cãna fistula Hisp. Caßiæ historia & natales.

derni Siliquam Ægyptiam, producit flores luteos vt Genista, Caryophyllum odore æmulantes, quibus decidentibus, exiliunt oblongæ siliquæ valde virentes, quæ post maturitatem ingrescunt, longitudine interdum quinq; palmorũ, et quæ infra, duorum. Nascitur per totam Indiam Occidentalem, sed melior et quæ magis conseruatur est in locis, quæ spectant Septentrionem, vt in Cambaya. Prouenit in campis sine cultura in tanta copia, vt vendatur valde paruo pretio. Hîc tentatum est seminari, & licet nascatur, vix visa est venire ad suam perfectionem. Quidam Lusitani persuaserunt sibi, Indos pronos esse ad fluxum alui, quia vaccæ, quibus magis vescuntur, Canna fistula pascerentur. Quod ridiculum est, Nam arbores sunt valde altæ, et numerus armentorũ tantus, vt non sufficerent omnes Cannæ fistulæ totius Indiæ ad alendum. Neq; verisimile est, quòd obliviscantur pastus ordinarij, multi & copiosi graminis, quod illîc habetur, & conferant se potiùs ad frũctum illum colligendũ adeò in alto positum, contra naturalem inclinationẽ. Ex insula

S.Domi-

S. Dominici & S. Ioannis de Portu divite, tanta advehitur Cannæ fistulæ quantitas, vt ex illa regione prospiciatur non solùm Hispaniæ, sed toti Europæ, & etiam Orienti, vnde primùm venit, appellunt multæ naves onustæ. Faciunt conservam ex floribus, & ex ipsamet canna viridi, quin habet etiam facultatem purgandi, si exhibeantur quatuor vnciæ, plus aut minus, secundum ætatem eius qui accipit, vt fit nunc in hac aula, vtentibus illa, qui eam habent. Non caret, vt mihi videtur, reprehensione Historicus quidam neotericus, asserens; quòd Canna fistula Indiæ Occidentalis est multò melior sine comparatione Orientali, nisi comparemus, vt ille sentit, recentem cum inveterata. Vnde nō est dubitandum, in electione propter clementiam loci vnam anteponendam esse alteri. Eligi debet, quæ non est valde crassa, quæ corticem habet clarum, recens, gravis, plena, et eâ percussâ non faciant strepitum grana. Humida est in gradu primo, & temperata inter calorem & frigus, mundificat sanguinem, refrenat bilem, ventrem & stomachum ab excremen-

Conserua ex Cassia. Cassiæ electio. Facultates.

crementis purgat, lenit pectus, temperat calorem renum, mitigat ardorem vrinæ, & prohibet generationem arenularum, maximè si accipiatur cum decocto Regaliciæ, aut cum alijs medicamentis, quæ provocant vrinam. Præterea, comesta sæpius non dat locum generationi calculi, ita vt pro certo habeatur, quòd si sumantur quotidie ante prandium tres eius drachmæ, nunquam generetur calculus in renibus postea, & homo manet securus à doloribus ventris, & apostematibus. Finaliter, facultas ipsius non transit ventriculum, atq; sic datur securè in principio febrium, & aliarum infirmitatum calidarũ ante venæ sectionem, solùm offendit eos, qui ventrem debiliorem & laxiorem habent. Sed incommodo huic iusta ratione succurrũt Practici miscentes Rhabarbarum, Spicam nardi, Mastichen, aut pulverem Hieræ simplicis. Sed si in contrarium esset venter durus, & multùm adstrictus, adiungimus cum Canna fistula aliquod medicamentũ, quod ipsi vires augeat, ad faciliorem penetrationem, quale est oleum amygd. dulc. quia retenta flatus excitat.

citat.

citat. Exhibetur etiam cum sero caprino ad anticipandã purgationem, maximè in scabie, cuius causa est phlegma salsum. Vltima dosis aut quantitas in pulpa est ad vndecim drachmas, & in canna vsq; ad vncias quatuor. Quò ad Corticem, an habeat vires prouocandi sanguinem menstruum: defendunt quidam contra veterum sententiam contrarium: & allegant, quòd quoties invenitur Cassia fistula ad hoc propositũ de movendis mensib⁹, semper intelligi debere Canellam, quia vna species ipsius vocatur Cassia sirinx, aut Cassia fistula, quæ eadem est ac Canella: & quòd ex similitudine nominũ nata est deceptio, dare corticem cannæ fistulæ purgantis pro canella. Sed si maiori cura ac diligentia inspiciantur codices magis antiqui Auicennæ: inveniemus clarè, quòd tractans in 3. Canone f. 21. tract. 2. cap. 31. de medicamentis facilem efficientibus partum, ponit corticem cannæ fistulæ, dicens: et cùm in partu sumit mulier de corticibus cassiæ fistulæ &c. Et postea ponit Cinnamomum; & paulò inferius Cassiam. quòd si voluisset illic Canellam, non dixisset corti- Cassiæ cortex.

tem Caßiæ fistulæ, sed Caßiam aut Cinnamomum, quod non est aliud, nisi ipsemet cortex. Ad eundem effectum vtuntur Medici magni pulvere facto ex cortice cannæ fistulæ vulgaris, & canella, ac myrrha, felicißimo succeßu.

Siliqua. Ceratia. *In syluosis locis vallium Perusinarum nascuntur siliquæ* Algarrovas, *ex quibus conficiunt panem in aliquibus locis, quæ licet lignosæ sint, modò dulces sint, præparantur tali modo, vt comedi poßint. Algarroba est similis Cannæ fistulæ in colore corticis, & in pulpa, quæ interstinguitur à seminibus. Quod ita se habere, non solùm probat sensus, sed & authoritas Serapionis, qui loquens de Cannæ fistula dicit, quòd contineat grana vt Xylocaracta, & eiusdem magnitudinis, & eandem habet proprietatem, quam Canna fistula, quia medulla recens harum duarum relaxat, & purgat aluum. Græci recentiores vocarunt arborē Algarrovarum Xyloceras, & fructum Xylocerata, Antiquiores indiderunt nomen arbori Ceratonia, & fructum Ceration, propter figuram quam habet cum cornu, quod vocatur*

catur κέρατα à Græcis, à Latinis dicitur Siliqua, & ab Arabibus Charnubium. Arbor quæ ipsas producit est mediocris magnitudinis, folia habet fraxini, sed latiora, duriora, & rotundiora. Fructus quando colligitur est valde insipidus ad gustũ, & postea exiccatus igne aut Sole, fit dulcis. Dat solidum nutrimentum, et est malæ digestionis, quòd durus sit. Hîc videmus nasci Algarrovas in locis calentibꝰ et maritimis nostræ Hispaniæ: & in Andalosia dant pro cibo fructum equis, quia pinguiores eos reddit.

De Coco Indico. Cap. XV.

Vix vlla alia Indiæ arbor generi humano maiorẽ affert vtilitatẽ, quàm arbor, quæ Cocum producit, fructum grandem & benè cognitum inter nos ita vocatũ in Hispania Coquo, quia tribus illis foraminibus quæ habet, repræsentat caput Cercopitheci. Incognita Græcis antiquis fuit, nisi fortè Straboni lib. 16. Geogr. et inter Arabes Auic. Can. 2. cap. 509. videtur fecisse aliquam eius mentionem. Est arbor præalta, folijs Cannæ, aut aliquo modo Palmæ, Palma Indica. Nucis Indicæ historia.

vnde

vnde eam vocarunt Palmã Indicã. Floret producit similes Castaneæ, et truncum tenerum, qualis cannarum est. Amat terram arenosam, & finitimam mari. Nascitur ex ipso fructu, & postea transplantatur, ac pauco tempore crescit, atq; fert fructum, maximè si diligenter colatur. Nam hyeme, cinere stercorari vult, æstate aqua rigari: et si iuxta ædificia plãtetur, euadit lætior, alacrior, atq; pulchrior, ex quo apparet gaudere luto & sordibus. Ex ligni materia, cùm tam procera sit, conficiunt naves, clavos, mala, vela, rudentes, & alia necessaria ad navium fabricam. Ex ramis fiunt navium & domorum tecta.

Cocci duo genera. Sura.

Arborum istarum duo genera constituunt Indi. Vnum fructus ferendi causa asseruant: alterum Suræ eliciendæ gratia, quæ est vinum mustum: hæc decocta, vocatur Orraqua. Eliciunt autem ex ramis per alembicum, aquæ ardentis modo, huicq; tam simile vinum extrahitur, vt etiam pannus lineus in eo madefactus non secus ardeat, quàm si aqua ardenti intinctus foret. Exempto priore vase Suræ, quod ramo alligant,

alligant, si plenum fuerit, continenter defluit alius liquor, quem asseruant & colligunt, vt ex eo faciant saccharũ, inspissando ipsum ad Solem vel ignẽ, & vocatur Iagra. Iagra.
Habet hic fructus corticem valde tenerũ, dùm recens est, qui gustatus, sapit scolymos: & parte interiori habet etiam medullam dulcissimam & delicatã, in qua continetur aqua dulcis & magnæ suauitatis. Comedunt aliqui corticem medium cum Iagra, cuius ante meminimus, aut cum saccharo: aliâs cõterunt, & extrahunt lac ad coquendam Orizam tàm boni gustus, ac si fuisset cocta cum lacte capræ. Nuces istæ recentes siccatæ atq; superiori cortice delibratæ & confractæ, [vocantur Copra] deuehuntur in Ormuz, aliasq; regiones, in quibus venduntur, quia sapiunt vt castaneæ denudatæ. Exprimunt etiam ex istis nucibus oleum copiosissimum, quod non modò ad lucernas vtile est, sed etiàm ad condiendam seu coquendam orizam, quæ cibus valde familiaris isti genti est. Oleum autem dictum est duorum generum. Vnum ex nucibus viridibus mediocriter contusis affusa aqua calida, qui- Copra. Oleum ex Nucibus Indicis.

da, quib' expreßis oleum aquæ supernatat. Vtuntur hoc ad purgandum molliter ventriculũ & intestina: neq́; obstat, quòd multi addunt expreßionem Tamarindorum, & faciunt singulare medicamentũ ad eundem effectum. Alterum genus Olei fit ex Copra, quod magnum remedium est ad spasmos, et arthritidem multi temporis. NB. *Cognovi ex quibusdam personis Indiæ, quòd multæ mulieres illius regionis Orientalis, licet anus, totum corpus lavant solio pleno istius olei, cuius vsu rugas totius corporis abigunt, & reiuvenescũt notabiliter, acquiruntq́; ipsis cuticulam nitidã et eius colorem pulchrum, maximè in facie.* Oleum Figuerræ. *Recentiores quidam Scriptores rerum Occidentalium faciunt capitulum proprium de oleo, quod vocant Figueræ de l' inferno, & dicunt advehi ex Gelisco provincia novæ Hispaniæ, quod laudant ad omnes illas res, quas tribuit Mesue in suo Antidotario, cùm sit idẽ cum eo, quod de Cherua dicitur, aut Cataputia maiori, quæ Italis vocatur Palma Christi, vel Mica Solis. Quare factum, vt tàm arbor, quàm oleum adeò vulgaris sit inter nos*

notitiæ, vt non opus sit peculiare capitulum tanquam de re rara et peculiari cõstituere. Redeundo itaq; ad nostrũ propositum, manifestè error eorum conspicitur, qui existimant, oleum Coccorum esse Eleomeli Dioscoridis, quod non manet sive exstillet ex quodam caudice, aut ex ipso extrahatur, quod tamen secundũ illum est necessarium. *Error quorundam.*

Quantùm ad Corticem istius fructus, convenit scire, quòd primus & exterior est materiæ pilosæ, ex quo faciunt rudentes, & funes alios nauticos, quia non corrumpuntur in aqua marina. Seruit etiam cortex exterior stupæ loco ad commissuras navium implendas, quia inflantur, & ita quasi agglutinãtur. Neq; verò minùs ex lanuginosa & villosa ista materia fiunt cingula pro infimæ sortis mulieribus. *Cocci cortex.*

Ex altero Cortice interiore & magis duro, faciunt vasa tornatores in vsum tenuioris fortunæ hominũ, & etiam carbones pro aurifabris. Sed ridiculum est dicere, quòd bibere ex istis vasis, vtile sit ad apoplexiam, vt quidã arbitrati sunt: quia nihil ex isto fructu invenitur, quod convenire possit affectionibus nervosi generis, *Vasa ex Cocco, & de eorum vsu explosa quorundã opinio.*

generis, nisi sit oleum, de quo supra facta est mentio. Sed nec ipsi incolæ huiusmodi facultatem vllam admittunt, neq; autor probatus quisquam meminit. Indi istarum palmarum germinibus (stolonibus) vescuntur, cùm palato melius sapiant, quàm castaneæ recentes, & palmites. Coccus de Maldiua. *Invenitur etiam aliud genus Cocci, quem de Maldiva appellant, cui multos adscribunt effectus præclaros & insignes proprietates medicinales; de quibus cùm nõ certa habeatur experientia, nec verisimilitudo subsit, eas hîc recensere operæ precium esse non ducimus. Cortex autem ipsius niger, & splendidior est vulgari Cocco, & longior in figura, quæ ovali est similis. Caro sive medulla interior siccata fit admodùm dura, & subalbida, extrinsecus valde porosa, et fragilis, sine sapore notabili. In vsu autem medico exhibent de ipso ad grana decẽ in vino aut aqua secundum naturam ægri, et rationem morbi. Inter istos Coccos Maldivarum, alij sunt prægrandes, alij parvi: omnes autem inveniuntur in littore: quia fama fertur, quòd insulæ Maldivæ fuerunt aliquando Conti-*

nens,

nens, q̃ cùm eſſent inferiores ſubmerſæ ſunt, remanſerunt autẽ illìc arbores Coccorum, et quòd ex antiquioribus induruerũt eo modo, quo hodie cõſpiciuntur. Hi an ijdẽ ſint cum vulgarib⁹, nõ poteſt determinari facilè, cùm nemo truncũ aut foliũ arboris viderit. Hoc ſaltem de ipſis ſcitur, eos eſſe in magna æſtimatione, quia nemini hos colligere licet, niſi cũ capitis periculo, quoniã regis eſſe cõmuniter affirmãt, qdqd è mari in litt⁹ eijcitur.

His annis elapſis miſerunt ex Canarijs ad Regem arbuſculam, mea opinione aliquo modo ſimilem Palmæ, quã vocabant Dragonalem, *quæ poſita in eius hortis, perijt, quantacunq; etiam adhiberetur diligentia. Attulerunt ſimul & fructum, qui eſt in modum ſiliquæ aut folliculi, vbi incluſum ſemen eſt, quo aperto, mox dracunculus apparet, collo longo, ore hiante, pilo erecto, & cauda longa. Vnde conſtat antiquorum et multorũ modernorũ ignorantia, qui nunquam eò pervenerunt, vt ſcirent, quid eſſet Sanguis Draconis, & quare ita diceretur, nec plantam, nec etymon nominis cognoſcentes. Naſcuntur arbores hæ in Continenti,*

Dragonalis.

Sanguis Draconis.

ex quibus per incisionē effluit illud gummi seu lachryma, quam Sanguinem Draconis vocant, atq; quidam certò arbitrantur esse eam Cinnabarin verum antiquorum. Venditur vulgò alius Sanguis Draconis adulteratus, & arte factus ex bresiliō & resina, aut mixtione alterius alicuius gummi. Dignoscitur autē à vero, quòd falsus liquescit in vino, aut aqua ardenti, quod non accidit bono. Adfertur ex Peru quædā species grani, quod nascitur in certis plantis paruis similibus Pimpinellæ vulgari, cuius radicibus adhæret, & vocatur Cocchinilla *similitudine vuarum sylvestrium. Propter nomen hoc & formā fructus putarunt quidam speciem hanc grani esse Coccognidium verum, siquidem huic & figura respondet, & facilè potuit degenerare appellatio Coccognidij in Cocchinilla, licet certum magis sit, quòd fructus Thymeleæ & Coccognidium sint res eadem, vt colligitur ex Dioscoride in cap. de Thymelea. Alij dixerunt Cocchinillam esse Chermes Arabum, & differre à Cocco baphica Græcorum. Quod est manifestò falsum, quia totum id quod*

Coccognidium.

Chermes.

Serapio

Serapio scribit de Chermes, Dioscorides dicit de Cocco baphica, seu Grano tinctorum, cuius arbor est species Ilicis, quæ in Castilia vocatur Coccoia, fructus est similis nostris vitibus novellis. Differunt etiam Cocchinilla & Granum in vsu, quia ex Cocchinilla fit Charmesinum pulcherrimum tingendo sericum, ita dictum (vt Costa notat) à Seres civitate Indiæ orientalis: & cum Grano tingunt pannos colore rosaceo, qui valde gratus est visui. Lib. 4. cap. 43.

Offert se hîc, vt de ipsa tractetur, propter multas ac diversas, quas habet, vires, arbor illa insignis, quæ nascitur in planis & vallibus Perusinis, vocata Moly, *Molle, aut Muelle ab alijs; cuius semen allatū est in Hispaniam, atq; in eius locis aliquibus provenit. Prima, quam vidi, fuit in hortis, quos habet S. Mai. licet aliquantùm parua. Postea ostendit mihi in horto suæ domus Secretarius Ioannes Fernandes vnam, tantæ & magnitudinis, & pulchritudinis, vt vix satiarer intuendo ipsam, & cogitando de eius facultatibus. Est arbor multorum ramorum, & valde odorata in omnibus suis* Moly. Molle historia.

partibus, fricari tamen debet, vt percipiatur odor. Folia sunt vt fraxini, licet angustiora et minora respectu suæ magnitudinis, læuia, & aliquo modo aspera, quæ abeunt in angustias versus cacumen. Producit flores valde paruos & racemosos, viti similes. Fructus est aliquo modo maior grano Piperis, principio viridis, & post ruber, ex quo faciunt vinum valde bonum, acetum, & mel, coquentes in aqua sufficienti, eoq; ad vsum necessarium vtuntur. Est plena arbor, quacunq; ex parte findatur, lacte valde viscido, instar glutinis tenaci. Lenta admodum est, & frangenti contumax, nunquã amittit folia, quæ gustata sunt fortis adstrictionis. Ex quo elucet, præter temperamentum, quod habent calidum, esse folia composita ex alijs facultatibus diuersis.

Vtilitas. *Vtuntur decoctione foliorum ad mala ex causa frigida. Habet gummi valde album, in modum mannæ, quod mixtum cum lacte expellit & resoluit nubes oculorum. Corticis summa est vtilitas ad dolorem & tumorem crurum, si eius decocto lauentur aliquoties. Tantæ æstimationis inter Indos*

erat

erat hæc arbor, vt eam tanquam Deum aliquem adorarent, more rituum & ceremoniarum gentium, vti refert Plinius de Lib.25.c.4. *Moly Homeri, laudatißima omnium herbarum: cui tantam tribuebant authoritatem, vt putarent à Dijs vocatam Moly. Atq; hoc est quod Ouidius scribit:*

Pacifer huic dederat florẽ Cyllenius album
Moly vocant superi, nigra radice tenetur.

De Cyrifole. Cap. XVI.

INvenitur in India Orientali fructus valde adstringens vocatus Sirifole, et alio nomine Marmelos de Bengala, de quo communiter faciunt Conservam cum aceto, quam vocant Achar. Arbor est Oleæ magnitudine, licet aliquantò maior, folijs Persicæ mali, florib⁹ paucis, et statim deciduis: fructu per initia tenero, colore viridi obscuro in parte interiore, cortice subtili, qui paulatim densatur, exiccatur, et indurescit veluti putamen nucis Indicæ, quam Coccum vocant, fructus verò sensim maturescens auctior fit, donec iam plenam maturitatem sit consecutus. Principio est vt parvum

pomũ Aurantium, sed postea multũ crescit. Ex fructus maturi parte interiore eximunt pulpam, ex qua faciunt bucellas magnas, et condiunt cum saccharo pro Conserva ad quemcunq; fluxum ventris. Dum Dominus Constantinus Protex esset in Iasamapatan, cùm ex continuis belli laboribus (deficientibus etiam nutrimentis) incidissent eorum multi in fluxum ventris, & cùm deessent alia medicamenta, confecerunt ex isto fructu mivas, emplastra, conservas, et clysteres ex decoctione corticum, cum quibus evaserunt multi vivi.

In civitate Guatimala nascitur alius fructus, qui nuncupatur Guayavas, *non minus adstringens quàm modò dictus, quo contra similem morbũ vtuntur, qui incolis admodũ familiaris est, tostum propinantes.*

De Doriones. Cap. XVII.

Duriones. *INter celeberrimos Indiæ fructus recensentur à quibusdam Doriones in Malaca vocitati fruct⁹, Melopeponis nostratis magnitudine, cortice duro, & cooperto multis spinis, foris virescentes, intus concamerati & mul-*

& multa habentes distincta loca, in quorum singulis continetur fructus albus non ingrati saporis, exigui ovi gallinacei magnitudine, in quo invenitur nucleus similis persicorum nucleis, licet rotundior. Folia huius plantæ medium palmũ oblonga sunt, acuta, similia folijs Lauri, salsa ad gustum. Producit flores ex albo flavescentes. Qui viderunt arborem, narrant esse Iuglandis modo prægrandem.

Huic fructui admodùm similis esse videtur Guanaban, *de quo refert Ouiedus lib. 8. suæ hist. cap. 12. qui multùm differt ab eo, cuius mentionẽ fecit Scaliger in libro de subtilitate contra Cardanum.* Exerc. 181. 6. et 292. 3.

De Fausel. Cap. XVIII.

F*Ausel Arabum (quod etiam dicitur Auellana Indica: & in Malauar, Pac et Areca) poterat facilè in Lusitaniam deferri cum alijs Aromatibus, si aut Pharmacopolæ, aut Medici curiosi magis essent, idq; adferendum curarent. Arbor quæ producit hunc fructum est recta, fungosa, folijs Palmæ, fructu nucis Moschatæ, minore* Fausel historia.

tamẽ, aut iuglandibus exiguis ſimili, intus duro, & candidis rubentibusq́; venis picto, non planè rotundo, ſed altera parte ſeßili, ſeu oblongo. Corticem habet foris lanugi- noſum, ſubflauum, perquam ſimilem Dacty- lis maturis, ſed non ſiccis. Amat arbor hæc loca maritima, & mediterranea reſpuit, alioqui ſerere eam non deſiſterent Mauri- tani & Moales, qui illũ etiã in ſuis ieiunijs comedunt, dum abſtinent à Betre. Habet hic fructus priusquã matureſcat hanc pro- prietatem, quod ſtupefacit & inebriat eum, qui comedit: atq; hoc fine à quibusdam edi- tur, vt dolorum cruciatus non ſentiant. Pro ſingulari ſecreto habetur contra pro- fluvia bilioſa alui, bibere aquã diſtillatam ex hoc fructu, cùm adhuc immaturus eſt. Siccatum autem diuidunt in multas partes tenuiſsimas, atq; cum Lycio, & Betre, cui exemptus neruus ſit, maſticant, & expuunt ſtatim primã ſaliuam, quæ redditur valde colorata. Ditiores faciunt ex Faufel, Ly- cit, Camphora, Ligno aloës, & Ambra pil- lulas, quas in ore tenent. De hac arbore Areca ſcribit etiã Ludou. Romanus lib. 5. nauig. cap. 7.

De Iamboloins. Cap. XIX.

IN India Orientali est fructus similis Oliuis, & multùm adstringens, qui vocatur Iambolones. Nascitur ex quodam arbusto, quod simile Myrtho est. Fructus hic non salubris æstimatur à regionis illius incolis.

De Iambos. Cap. XX.

EX fructibus magis æstimatis apud Indos Portugaliæ est Iambos de Malaca, qui anserini magnitudine, aut paulò maior, colore purpureo, odore rosarum, sapore suauissimo. Arbor est altitudine Pruni, folia ferens magnam similitudinem habentia cum cuspide ferrea maioris alicuius lanceæ, viridia, aspectu pulchra. Flores sunt cum rubore albicantes, odoratissimi, sapore acidi. Altè suas radices terræ infigit hæc arbor, quia non solùm fert fructum elapsis quatuor annis: sed singulis annis sæpius. Condiuntur tùm fructus, tùm flores, atq; ita asseruantur.

De Mangas. Cap. XXI.

TAmetsi ij fructus qui apud Indos nascuntur, longè sint excellentiores ij, qui

in Europa proveniunt, veluti aurea mala, citria, ficus, vuæ, persica, punica, et similes: tamen illis præstat fructus quidam apud illos nascens, quem Mangas vocant. Tàm enim suavis est, vt cùm in foro præstat, relictis fructibus alijs hic ematur. Colligitur mense Aprili in regionibus calidioribus: alijs serotinis, Maio & Iunio: quandoq; Octobri & Novembri. Differunt isti fructus inter se secundũ diversitatem locorum. Primas tamen tenet is qui in Ormuz nascitur. Colore est fructus is ex viridi rubescente, & odore gratißimo. Exempto cortice, editur aut sine vino, aut generoso aliquo vino maceratus, veluti nos Persica duracina, Melocotonea sumimus. Conditur etiam saccharo, interdũ paratur cum oleo, sale, & aceto, adiecto allio & gingibere. Temperies eius est frigida & humida, vt persicorum. Eius oßicula aßata sistunt fluxus alui: nuclei verò interficiunt lumbricos ventris, quod rationi consonum est, ob eorum amarorem, siquidem etiam talia in simili casu solent exhiberi medicamina.

De Myrobalanis. Cap. XXII.

ANtiquos non cognouiße nostra Myrobalana, certum est. Μυροβάλανοσ autem idem sonat Græcis quod Nux vel glans vnguentaria Latinis. Et quoniam Auicennæ & Serapionis interpres vidit hæc nostra similitudinem aliquam habere cum glandibus, Myrobalana vertit, cùm meliùs vertißet Pruna, quibus similia sunt. Vocantur ab Arabibus Delegi, licet secundum suas differentias sortiuntur alia nomina diuersa. Sunt igitur in vniuersum quinq; eorum genera, quæ non nascuntur ex eadem arbore, vt aliqui putarunt, sed vnumquodq; ex sua: & in regionibus sexaginta aut centum leucis inter se distãtibus. Proueniunt enim nonnulla in Goa, et Batecala, alia in Malavar & Dabul. Sed quæ communiter adferuntur in Portugaliam, maiori ex parte sunt ex illa prouincia, quæ est inter Dabul & Cambaya. Nam experientia cõpertum habemus, eße minus subiectos corruptioni fructus, quos fert regio Septentrioni vicinior. Arbor Myrobalanorum Citrinorum, habet folia, vt Sorb⁹: Emblicorũ, vt Filix, & sunt

& sunt paululùm crispa: Indicorum, aut Nigrorum, vt Salix: Bellericorum, vt Laurus. Et hanc vidimus in Arangoes plantatam inter alias multas plantas, quæ illîc nascuntur. Deniq; eius, quæ producit Chebula, folia sunt Persicis similia. Arbores hæ licet inter se differant, omnes tamen sunt Pruni magnitudine, sylvestres, et sponte nascentes. Medici eius loci vtuntur in medicina solis quatuor generibus Myrobalanorum: nam quinto, Emblico nobis dicto, non vtuntur, nisi densandis corijs, Sumac loco, & atramento conficiendo. Sunt tamen etiam nonnulli qui ijs viridibus vescuntur excitandæ appetentiæ causa. Porrò quoniam sapore sunt acido et adstringente, temperamenti esse frigidi & sicci inde conijciemus. Indi non solent ea præparare, quia non vtuntur ipsis ad purgandum, sed potiùs ad retinendum fluxum sanguinis & seminis. Et si casu quodã ipsis purgare velint, eorum decocto vtuntur. Vtuntur ipsis quoq; cum saccharo in Conservis, et specialiter Chepulis. Eliciunt etiam aquã stillatitiam ex ipsis immaturis, quã ad adstringendum exhibent cum syrupis & conservis.

In noua Hispania nascitur fructus flauus vocatus Hovos *modo Dactylorũ. Arbor adeò alta est, vt vix colligi possit fructus, nisi præmaturus sponte decidat, & Myrobalanis citrinis tàm similis est, vt plerique eundem esse contendant.*

De Tamarindis. Cap. XXIII.

NAscuntur multis Indiæ locis, sed qui locis montosis, & ad Septentrionẽ obversis proveniunt, præferuntur, & diutius incorrupti manent: quales sunt quos Cambaiete & Guzarate gignit. Arabes Tamarindi appellant, quasi dicas Dactylos Indicos, Nam Tamar eorum lingua Dactylum significat: & etiam Lusitani ob viciniam quam habent cum Africa vocant Tamaras ipsos Dactylos. Quidam ex modernis Græcis Tamarindos vocarũt Oxyphœnica, propter saporem acetosum, quem habent. Deceptos autem esse eos inveniemus, si spectemus Mesuen, & magis adhuc cum illis, qui putarunt esse fructum Palmæ sylvestris Indicæ, quòd tota India non reperias Palmas: sed Dactyli, qui illîc

Tamarinium.

Lapsus quorundam.

illîc comeduntur, adferuntur ex Arabia. Quòd si fortè aliqua inveniatur Palma sylvestris: sterilis est, & longè diversa à Tamarindifera arbore: quæ magnitudine est Fraxini, vel Iuglandis, aut Castaneæ. Habet lignum durũ & densum, ramos ornatos multis folijs subtiliter serratis in rotundum, palmarũ magnitudine: fructus in arcus aut digiti inflexi figuram effor-matur: cuius cortex priùs quàm maturetur, viridis est, siccatus verò, cinereus, & facilè auellitur: nucleos intus continet satiuorum Lupinorũ magnitudine, quodam modo rotundos, planos, flavos, et læves, quibus extractis et abiectis, sola pulpa in vsum venit, quæ non nihil lenta & viscida est. Forma arborum.

Proprium est huic fructui, vt noctu se condat sub folijs ad cavendũ sibi à frigore: redeunte die, sese expediat atq; explicet grato spectaculo. Dum viret, acidus est, cum quadam suavitate. Vtuntur ipsis præparatis cum sacchar o magis feliciter, quàm cum syrupo acetoso. Huius regionis incolæ sine molestia sese purgant Tamarindis cum oleo nucis Indicæ sumptis, quæ est Cocos. Mirabile de huius fructus folijs, q. Solem semper sequuntur, atq; ad eius ortũ et occasum sese aperiunt et claudunt.

Solent

Solent etiam ipsorum infusione biliosum purgare humorem, & pituitosum incidere atq; attenuare, hac ratione. Accipiunt illorum quatuor vncias, & aqua frigida, vel cichorij macerant spatio trium horarum, deinde facta expressione, eximunt Tamarindos, quos modico saccharo inspersos vtiliter exhibent. Medici Indi felici successu solent tritis eorũ folijs curare erysipelata. Alij istis in locis vtuntur Tamarindis loco aceti, [expresso succo ex ijs contusis & optimè salitis] gratior enim palato est eorum aciditas, præsertim maturorum. Feruntur in Persiam, Arabiam, Asiam minorẽ, & Lusitaniam sale conditi, ne corrumpantur. Non adulterantur, siquidem in magna inveniuntur copia, & venduntur vili pretio, vti videmus in Hispania: sed advertant interim Apothecarij, quòd si multum salis continent, non sunt boni, neq; ipsis bona conscientia vti possunt, quia cùm refrigerare deberent, calefacerent superfluè. *Conseruatio.*

De Agnir. Cap. XXIV. Herbæ.

Agnir, apud Arabes & Turcos Anil dictum,

dictum, vocatur in Guzarate, Gali, est herba, quæ seminatur singulis annis in India, similis Ocimo, Mangir, quod vocabulum apud Lusitanos & homines natos in illis regionibus est illud idẽ quod Albahaca, id est, ocimum, iuxta Carolum Clusium. tamen videtur esse herba Isatis, vocata in Castella Pastet. Interpres Auicennæ Nil transfert Glastum, quod est Isatis Græcorum, & Indicum officinarum. Tundunt hanc herbam, & coactam in panes, per aliquot dies siccandam exponunt: & quamvis siccata videtur viridis, postea tamen mutatur color ille in cæruleum, donec tandem in cæruleum ex saturatum evadat. Melius habetur id Anil, quod magis purum est, quodq; vstum nõ remanet vt arena, sed dissoluitur in subtilissimum pulverem. Alij anteponunt id, quod aquæ iniectum innatat, quia præter bonũ colorẽ etiã leve esse debet.

Anir aliud. *Nascitur etiam Anir in nostris Indijs, & seminatur duobus modis, & duobus temporibus. Vnum est in Ianuario, in terra bona & pingui: aliud in Septembri & Octobri, cùm imminent pluviæ. Plantari debet vti*

lactuca solet, transponendo vnamquamq́; plantam tribus pedibus distantem ab altera, & auferendo illinc omnem herbam vitiosam & prauam. Vnaquæq́; earum, quæ nascuntur durat duos annos, & tàm copiosum producit semẽ, vt vbi semel seminatum fuerit, renascantur multæ novæ plantæ. Semen est valde paruum contentum in siliquis seu folliculis similibus vermibus, coloris spadicei obscuri. Folia herbæ colligunt, & in caldario coquunt: postquàm benè cocta fuerit, percolant, et percutiunt bacillis paulò latioribus, ac quiescere sinunt & residere. sedimentum quod in fundo remanet est Anir, quod, diligenter priùs emissa aqua, Soli exponunt, vt exiccetur paulatim. Conficiunt etiam paruos panes imprimentes in typum aut formam creta-ceam: & est maioris pretij ac æstimationis id, quod affertur ex Lusitania in tabellas efformatum, quia venditur libra sedecim regalibus nummis: & alterum quod affertur in morcellis & crassioribus particulis, octo et sex. Nescitur vsus eius in medicina, quàmvis vulgo dicatur dari pueris qui la-

borant gravitate stomachi, & malè concoquunt. quale remedium nec probo, nec improbo nunc.

De Amomo. Cap. XXV.

Amomum an habeatur dubiū.

AMomum vnum est ex medicamentis simplicibus, multùm celebratis ab antiquis; & maximè ad vsum & compositionem Theriacæ, vix cognitum nostris temporibus: quare de eo non absq; causa multi dubitarunt. veram autem sententiam docuimus in nostro libro Obseruationum medicamentorum compositorum, quorum hodie est vsus in officinis nostræ Hispaniæ.

Quid sit. Amomum nō est Rosa Hierichūtica: de qua Bellonius lib. 2. obsv. cap. 86.

Quantùm ad originem Amomi, quæsitum est ex quibusdam Iudæis, qui habitaverunt Hierosolymis, quid esset Amomum; & responderunt, lingua Arabica vocari Hamama, quod Pedem columbinum significat. planta hac erat multùm cognita, licet non visa ab Indis. Idem etiam dicebant Medici Nizamalucci Regis in Decan potentissim, qui solent esse Persæ & Turci, nō nasci in India, sed inter alia aromata quæ ad Regem ex Asia, Persia, & Arabia confi-

ciendis alexipharmacis perferretur, Amomum etiam adferri, cuius visus est ramus, qui totus respondebat descriptioni Dioscoridis, & quamvis esset siccus, admodum similis tamen erat Pedi columbino: sed non proinde sequitur, vt sit pes columbinus, quem rhizotomi vocant, cum sit certa quædam radix colorata, quæ inter doctos & materiarum medicarum peritos habetur pro Anchusa. Lib.1.c.14.

De Bangue. Cap. XXVI.

Bangua.

B*Angue Indiæ Orientalis est herba, aliquo modo similis Canabi, nisi quòd huius semen Cannabino minus est, nec ita album: caules ipsius sunt lignosi, & quasi ab omni cortice nudi, contrario modo quam in Cannabi: deniq. Indi semine et folijs vescuntur, vt validiores in re venerea fiant, cùm in Cannabi virtutē contrariam inveniri tradant Scriptores, quòd nempe semen ipsius perdit et cōsumit substantiam generationis. * Theophrastus lib. 9. cap. 20. de hist. plāt. facit mentionem herbæ cuiusdā, quæ mirum in modum pollebat ad rem veneream, quam*

* Herba miræ virtutis ad actū venereū: de qua ibi plura Theoph. Vide Costeū lib. 2. de vniuer. stirp. nat. cap. 24.

Indus attulerat. Non enim solum edentibus, sed etiam tangentibus tantũ genitalibus vim dixerunt vehementem adeò fieri, vt quoties vellent coire valerent, sic vt vis eius mirificè omnes excederet naturas. Ex quo loco suspicantur quidam, hanc herbam Theophrasti esse Bangue. Ex succo istius herbæ mixto cum Ambra, Musco, & nuce Muscata, atq; similibus reb' odoratis, faciunt confectionem, quam vocant Magu, qua milites ac bellorum Duces inprimis vtuntur, vt lassi ac defatigati laboribus belli, lassitudine liberentur, adeoq; securiùs & liberiùs dormiant. Sic Indi multi vtuntur ad istum effectũ lassitudinis removendæ comestione Opij, h. e. succi papaveris. In Toleto visus est Indus, qui comedit octavam ipsius, & alius in Hispali quartam. Interrogati, quare comederent; dixerunt, ad removendã lassitudinem, quã contraxerunt in elevandis magnis ponderibus. quod quidem videtur mirabile, quia si tria aut quatuor eius grana dantur ægroto in extrema necessitate constituto, metus est, ne damnum ipsi afferant: & non nisi summa cum cautione datur.

Maiu.

Opij esus, cum quo magnã affinitatẽ habere videtur Bãgue.

De

De Coru. Cap. XXVII.

Coru ita vocatum lingua Canarica, frutex est magnitudine Arbuti, aut paulò minor, folijs mali Persicæ, floribus albis, Periclymeni odorē æmulantibus. Lusitani in India vocant alio nomine herbā de Malavar, quia Malavarenses detexerunt vsum ipsius medicinalem, qui est curare quodcunq; genus dysenteriarum, evacuata primùm magna ex parte peccante materia, ne idem redeat malum: cuius rei summa habenda cura, etiam monente Galeno. Facultatem suam habet in cortice radicū, si exiccetur, siquidem quum adhuc recens est, exstillat humorem lacteum, qui à principio videtur esse calidus, sed degustatus comperitur frigidus & siccus, atq; etiam ob eius effectus Medici iudicant ipsum frigidum & siccum. Pulverem radicis huius contusæ accipiunt, & imponunt vasi distillatorio cum sero lactis, & addunt semina ammeos, petroselini, coriandri sicci, & cumini trita ac torrefacta, vnciamq; vnam butyri vaccini recentis, & extrahunt liquorem, de quo dant infirmis vncias quatuor cum duabus Herba Malavarica.

aquæ rosatæ aut plantaginis, aut aquæ è pediculis rosarum. Inijciunt etiam clysteres ex hac aqua cum maxima vtilitate: sed debent esse frigidi, quòd sit regio valde calida. Quòd si postulet necessitas, propinatur aqua hæc ad morbos suprà dictos bis in die, hora sexta matutina, & iterum hora sexta vespertina. Sed licet hoc remedium semper feliciter successerit: sine comparatione tamen maiores effectus facit herba de Malavar præparata ab ipsismet indigenis. Fit verò & paratur, vt altera, infundendo res illas in sero, aut in aqua eryzæ probè coctæ. Aliqui succum ipsius plantæ bibendũ porrigunt. Et cùm amarus sit ac admodum ingratus, illicò post eius sumptionem accipiunt serum ad abluendum os. Quòd si Malavarenses fortiori adhuc remedio opus esse vident, opium admiscere solent: quamvis hoc ipsis suspectum existat. Valet etiam plurimùm hoc medicamentum cum aqua Menthæ & pulvere Mastiches contra vomitiones, & debilitatem ventriculi.

De Iunco odorato. Cap. XXVIII.

IVncus odoratus, quẽ vocamus Schœnanthum, nascitur communiter et in tanta copia in provincijs Arabiæ, vt apud nos gramen. Quidam ipsum vocarunt pastum Camelorum, licet non sint in India, vt penitus absumant ipsum simul cum floribus. Sunt quidem ibidẽ alia animalia, vt sunt, boues, equi, asini, capræ, et oues, quæ nullum aliud pabulum comedunt, præter hoc. Corn. Celsus vocat Iuncum rotundũ ad differentiam vulgaris & Cyperi, qui est triangularis. Lib.2.c.2.

Defertur in Indiam Orientalem, in vsum medicum vsurpandus. Maxima tamen copia per fasciculos colligatũ in navibus adsumunt equarij mercatores, vt equis substernant, ne stercoris & vrinæ fœtore offendantur. Nam simulatq; maduerit, recentẽ substernunt, & madidũ in mare abijciunt. Incolæ loci eius lavant se cum ipso, & armenta etiam: ita vt solùm Medici Arabes et Persæ ipso vtãtur in Medicina. Vsus.

Conspicitur in officinis cum suis floribus, vnde ei convenit nomen Shœnanthi q.d. flos Iunci, licet sit vsus quoq; caulium et radicũ. Schœnanthos.

Dicunt conservari ipsum per decem annos: sed in locis maritimis Indiæ: valde parvo tempore durat eius fragrantia. Volunt Monachi illi, qui in Mesuem commentati sunt, radicem Iunci odorati esse Galangam. Sed valde delirant, quia Galanga nascitur, vt diximus in China, quæ distat ab Arabia duobus millibus milliarium. Differt etiam folijs & radice à Iunco: & Galanga non nascitur, nisi seratur: Iuncus autem odoratus sponte provenit.

Monachorum oscitantia.

De Musa. Cap. XXIX.

*PLlanta hæc Indiæ Orientalis non seminatur plus quàm semel: quia primùm producit multos caules, qui postea evadunt in arbusculas. Truncus in altum sese erigit cum cortice squamoso, in modum Palmæ, folijs * latissimis & longissimis, per quorũ medium excurrit costa sive nervus valde crassus. Ramos nõ habet, quia totã truncus est: imò producit in cacumine flores racematos, parùm flavos, figuræ ovalis, et vnius palmi*

Musæ historia: quæ ex Orientali in Occiduas Indicas insulas, adeoq; in Portugaliã trãslata est.

* Testis Theuetus est Cosmogr. Or. c. 51. tàm magna atq; lata esse folia, vt facilè vnius anni infans inuolui possit: neq; existimatur esse in Mundo arborum, quæ folia habeat tantæ latitudinis.

palmi in longitudinem, è quibus circumemi-nent pediculi, centũ, interdum ducentos aut plures ficus sustinentes: quos vocant Guinei Benanes, & Arabes Musa, vt constat ex Serapione, Auicenna, & Rasi. Cognoscitur hodie planta hæc in America: vnde missus est fructus ad aliquos Dominos huius aulæ pro singulari dono, cùm adeò exquisita & rara arbor sit. Primùm gustantibus, displicet hic fructus: verùm si quis esui eius assueverit, adeò indies magis delectatur, vt nunquàm saturari videatur. Dicit Serapio, quòd Complexio ipsorum est calida & humida, & vtiles esse adversus pectoris & pulmonum ardores, provocare mirabiliter vrinam, liberare renes à molestia & dolore, si quis eos teneat. Vnde fit, vt Medici Indi huius fructus esum imperent suis ægrotis non tantùm in febribus, sed in alijs quoq; morbis. Accedit, quòd cibus iste gustu est commendabilis: siquidem iuxta Hippocr. etiam parùm deterior potus & cibus, suavior autem, melioribus quidem, sed minùs suavib⁹ est præferendus. Quod ad rationem nominis, ridiculum est, quod

Vsus, & Facultates.

2. aph. 38.

Appellatio vnde.

quod à quodam scribitur, vocari hunc fructum Musam, quòd sit tàm excellens, vt meritus fuerit tenere nomen novem illarum Musarum, quas finxit antiquitas, aut quia valde communis cibus ipsarum sit. Addit praeterea, eum esse fructũ, quem comederunt primi nostri parentes in paradiso terreno. Idem refert Frater Brocardus in descriptione Terrae sanctae. [Scr. Theuctus Cosmogr. Orientis cap. 37. & 51. Poma Adami esse magnitudine cucumeris parui, saporis et dulcedinis admirabilis: vt cunctos etiam alios superet Orientis fructus.] *Ouiedus plantam hanc nomine improprio Platanum vocauit lib. 8. hist. Ind. c. 1. Fuerunt quidã in illa opinione, quòd Musa Arabum sit illa planta, quae vocatur Pala à Plinio lib. 12. cap. 8. siquidem illius descriptio tota huic competere videtur, maximè quòd in provincia Malauar, quae est supra flumen Indum & Gangem vocatur hodie Palan. Vnde apparet accepisse Latinos nomen Pala. Matthiolus tractans de hac planta supra cap. de Palma, credit esse in Theophrasto id genus Palmae, quod dicit nasci in Cypro, quod & folium amplius habet, & fru-*

Pomũ Paradisi, seu Adami.

In lib. 1. Diosc. cap. 125.

Lib. 1. de hist. plant. cap. 8.

& fructum multò ampliorem, magnitudine mali Punici.

Ante annos multos attulerunt ex nostris Indijs Occidentalibus speciem ficus Indicæ, quam vocant Indi sua lingua Tune, *quæ multùm differt à Ficu indica Theophrasti, Strabonis, & Plinij. Quòd si admiserimus, antiquos cognouisse aliquas plantas Indiæ occidentalis, dicemus quòd sit Opuntia Plinij, cùm sit nata circa Opontem, vt dicit Theophrastus, quia si vnicum solùm ex planta rescindatur folium, & implantetur terræ vsq; ad dimidium, multas producit radices atq; alia multa subinde folia ex ipsomet folio tali ordine, vt appareat arborē hanc posse reponi inter miracula naturæ. Habet folia valde crassa, ex quibus progerminant quædam spinæ albæ, tenues, & longæ, licet quædam absq; spinis visæ sint. Producit planta in illis regionibus ex foliorum germine fructum similem nostris Ficubus, sed crassiorem, & ex viridi rubentem. Medulla est tàm succosa & rubra, vt tingat manus, veluti Mororum succus, atq; eorū qui ipsum comederant vrinam ita inficiebat*

Tunē Indorum Ficifera.

ficiebat colore, vt perterrefaceret illos, qui arcanum hoc non intelligebant, cùm putarent se meiere sanguinem. In Hispania admodùm magna conspicitur, aliquando sine fructu, & quando illum producit, similis est paruo Cucumeri.

De Tabaco. Cap. XXX.

Nicotiana, Petum. *IN multis locis Indiæ invenitur herba dicta Tabaco, & Piscielt, qua incolæ vtuntur ad eundem effectũ, qui de Bangue modò*

Vsus apud Indos. *dictus est, ad tollendam lassitudinem, solatiumq; in sustinendis laboribus, & verberibus excipiendis. Abutuntur sacerdotes Indici ad edendas divinationes et prædicendos rerũ eventus: vulgus ad videnda varia in insomnijs, accepto fumo eius per os, de quibus alij, maximè Monardes copiosiùs. Fuit*

Lapis miræ virtutis. *quidam frater Alphonsus Chacon, qui habebat lapidem, quem si quis inter dormiendum manibus tenebat, causa fuit vt varia apparerent imagines, etiam timoris plene.*

Tabacinæ sales et historia. *Nascitur in India locis humidis & vmbrosis, solum requirit liberum & spatiosum, vt possit largiter sese expãdere ac succrescere,*

caulem

caulem producit rectū ab imo ad summum, brachiatum [brachij craßitudine] folijs Limonum, vel Oxylapathi, viridibus colore, & nonnihil hirsutis, seu lanuginosis. Florem fert Campanulæ modo candidum, quo exiccato succedunt veluti capitula papaveris nigri, quibus continetur semē valde exiguum. Radix craßiuscula in multos ramos finditur, intus colore croceo, & ad gustum acris ac mordax, cortice lignoso, à quo tamen facilè separari poteſt. Temperamentum ipsius eſt calidum in plùsquàm secundo gradu, & siccum in primo. Naſcitur ex semine ſparso in terram Autumni tempore, atq; tardiùs & longiore tempore poſt prodit. Quando autem naſcitur, cauliculum sui seminis in supremo conſtituit. Terram autem, in qua seminari debet, ita digerunt ac colunt, vt in superficiem inijciatur semen, & poſtea invertitur & circū voluitur cum terra. Quidam seminant cum pauco cinere mundato per cribrum: qualicunq; autem modo naſcitur, cùm prodijt, à frigore praſervanda eſt, operiendo ipſam noctè, maximè quando adhuc parva eſt. Herba Cōplexio. Serendi modus. Aßervatio.

hæc

hæc viridis & pulchra permanet, licet folia inferiora soleant siccari. Melior herbæ pars ad vsum medicum sunt folia, quorum defectu semine quidam vtuntur, at non tantæ efficaciæ est. Vt aſſeruentur folia, accipiunt ea traiecta filo per medium & suspendunt in vmbra vt siccentur: deinde ijs, aut integris, aut in pulverem redactis, vtuntur. Calefaciunt, resoluunt, mundificant, & simul nonnihil adstringunt, vt ex

Effectus in varijs morbis.

sequentib⁹ eius facultatib⁹ patebit. Plantæ huius folia leni igne calefacta & impo sita, subitò dolorem capitis sedant, maximè si ex

Cephalæa.

causa frigida vel flatu ortus sit. nec ab hoc desistendū remedio, vsq; dum manifesta eius appareat vtilitas. sunt qui caput oleo mali arantij prius inungant. Si viridia desint, vtendū erit desiccatis, quæ humectari cum vino et calefieri super prunas calidas oportet. Idē efficitur siccatorū foliorū pulvere, meliore, quo fieri potest, modo si adhibeatur mixtis alijs, quæ appropriata sunt.

Odontalgia.

Dentium dolorem levat, si dens qui dolet linteolo madefacto in succo eius lavetur & abstergatur, ac mox pilula seu globulus ex

folio eius denti imponatur, atq́; etiam, si adsit corruptio, ne vlterius serpet, prohibet. Pectoris vitijs, vt tussi, asthmati, & similibus morbis ex frigidis humoribus prodest decoctũ foliorũ ex aqua, & eclegma ex eius decocto. Quidam Asthmatici vsi sunt fumo herbæ per os excepto, & adiuti sunt per expectorationem phlegmatis crassi et putridi, sed vniversales purgationes, quæ magis conveniunt, præcedere necessum est, maximè si moræ locus detur. quod omne committitur arbitrio prudentis Medici. In splenis obstructionibus multùm iuvat hæc herba, fricando ipsum cum folijs contusis, ijsq́; suprapositis, aut imponendo linteolum madefactum in ipsius succo manè ieiuno ventriculo. Si desunt folia, miscemus pulverem cum vnguento vsitato ad aperiendas obstructiones. In dolore ventriculi, maximè à causa frigida & flatibus, applicantur similiter folia calida, sæpius imposita. Quòd si sumamus folium viride, & vnctis manibus oleo abrumpamus nervos et venulas folij, absq́; vlla comparatione erit remedium melius, ponendo vnum supra orificium ventriculi

Pectoris vitijs.

Splenis obstructionibus.

Ventriculi morbis.

triculi

triculi, & alterum à tergo è regione ipsius. Ad Cruditates puerorum, & etiam adultorum commendant hanc herbam per totam Indiam, si folia sub fervido cinere calefacta applicentur ventri sine excussione cineris. Coli: Rerum: Vteri dolore. *Colicum & Nephriticum dolorem eodem modo, vt diximus, præparata & applicata folia cum cinere sedant mirabiliter, si iteretur sæpius hoc remedium. Vteri dolor non minori efficacia sedatur admotis similiter folijs calidis vmbilico & ventri: & si fortè (vt fit interdum) animi deliquium subsequatur, fumo illorum naribus obiecto redit ad se. quod remedium Indicis mulieribus adeò commune est, vt herbam hanc magna adservent diligentia, & magni faciant, vel ob hanc solam causam.* Lumbricis. *Lumbricos contra, datur succus clarificatus, & saccharo syrupi specie commixtus, pueris et adultiorib⁹, quia ipsos necat et expellit: ita tamen, vt herba contusa emplastri modo vmbilico applicetur, atq; ex lacte et saccharo clyster inijciatur.* Ischiade. *In Iuncturarū passionibus, si non sint ex humore multùm calido, valde prosunt folia parti dolenti imposita, & eodem*

& eodem modo faciant suos effectus in inflammationibus ob causam frigidam. Perniones cum hac herba si fricentur benè ter aut quater, eos aufert & adimit, vti constat experientia, maximè in pueris, & multò adhuc certiùs, si pòst ponantur pedes aut manus in aquā calidam cum sale. Venenis, & toxico perniciosissimo, quo Cannibales suas sagittas illinunt, efficaciter valde resistit: ante autem sublimatum inspergere vulneribus solebant, qua de re Monardes. Eodem modo venenatis carbunculis imposita crustas inducunt, & brevi curationem adferunt. Vlcera antiqua, licet ad ossa vsq; penetrent, sintq; cancrosa, mundari perhibent, carne repleri, & ad cicatricem perduci herbæ huius succo indito, & superimpositis folijs, præsupposito tamen bono regimine, & præmissis evacuationibus vniversalibus. Quæ vtilitas etiam cognita est in vlceribus narium, tinea, & impetiginibus, ac similibus, fricando cum folijs talem fœditatem. Hæc eadem vtilitas eius in curandis vlceribus, non tantùm obtinuit in hominibus, sed etiam in alijs animalibus,

Pernionib. Venenis. Carbunculis. Vlceribus.

quia per vniversam quasi Indiam, præcipu in S. Dominico & S. Ioanne de portu divit frequentia sunt vlcera in vaccis, bovibus, & alijs animalibus, quæ sese mutuò vulnerant in montibus, & ob summam regionis humiditatem facilè putrescunt illa vulnera, vsq; eò, vt repleantur vermibus. Quæ quidem sublimato curare erant soliti: hoc autem ipsum cùm tanti eßet pretij, vt plus constaret, quã animal ipsum, quod curabatur: invenerunt per experientiam, in fuso succo istius herbæ non solum interfici et eijci vermes, sed etiam mundari vlcera, & ad cicatricem perduci. Et illud ipsum præstat in animal.bus domesticis & veterinarijs, curando Contusiones ipsorum. Scimus quendam vlcere antiquo narium laborantem, è quo sanies manabat, non sine suspitione contagij, instillato succo istius herbæ per nares magnam eiecisse multitudinem vermium, atq; ita curatus est. Inter dotes alias, quas habet, hac excellere videtur, quòd prima statim intentione curantur vulnera recentia. Et in hoc casu invenerunt tantam virtutem & efficaciam, vt per ipsam in oblivionem

Vulnerib. Ob hũc effectũ vulgò nũcupatur Vulneraria planta Indica.

vionem abierit oleum de Aparicio, de quo copiosè meminimus in nostro libro de Chirurgia, in quo expositus modus est vtendi ipso magis cōveniens, vt apparebit legenti. Quòd si quis vulneratus aut ictus fuerit, tusa herba et superposita vulneri, si paruū est, sequēti die inducta crusta est sanū. In maioribus autē, necesse est vino abluere vulnus, & labra coniungere, & statim madefacere cum succo, & postea linteolum eo imbutum supra totū vulnus ponere, & ligare. Cognitum hoc ab illis est, qui acquisiverunt Indias, & redierunt in Hispaniam. hi retulerunt hasce vires herbæ huius, qua vsi sunt in bellis & acquirendis provincijs, ita vt multi periissent, si non per ipsam servati fuissent. Communiter autem secum portabant foliorum pulverem, vt eo, ipsa herba destituti, vti possent. Quod didicerunt ab Indis, qui dicto modo absq; medico se curabant, quod non in paruum bonum nostris cessit, propter malum apparatum Chirurgicum, qui est in illis regionibus. Et licet habeat virtutem sanguinis sistendi in vulneribus, in causis tamen maioribus, ubi futura

opus est, & alia operatione manus, non intermittet Chirurgus facere quod sui est officij, remittendo illum ampliùs ad herbam.

Fami & siti. *Etiam vtilitatem capiunt Indi ex Tabaco ad sedandam Famem ac Sitim, hoc modo. Accipiunt conchylia quædã cochlearum, eaq; vrunt, deinde atterunt calcis modo: huius et foliorum Tabaci partes æquales sumunt, manduntq;, donec ex vtriq; massa quædam vna fiat, ex qua faciunt pilulas, easq; siccant in vmbra. Facturi autem iter per loca deserta & quæ non inhabitantur, vbi cibum vel potum se inventuros non sperant, ex ijs vnum inter labrum inferius & dentes reponentes aßiduè liquorem exugunt, suctumq; paulatim transglutiunt, & consummata illa, aliam imponunt, vsq; quò iter suum confecerint, quod durare solet tres aut quatuor dies, quibus neq; famem, neq; sitim sentiunt. Causam esse putamus, quòd suctu illo attracta pituita ex capite & alijs partibus corporis ad os, inde abit in ventriculũ, et à calore naturali consumitur in defectu nutrimenti, atq; ita sustentantur.*

Podagra. *Arthritici [Podagrici] quidam herba*

herba hac vtuntur, sumentes singulis diebus mane parum de ea, eamq; mandunt, vt podagræ doloribus liberentur, siquidem multam pituitam in os prolicit, inq; partes inferiores fluere prohibet. Quare perhibent, quòd isto vsurpato remedio non redit articulorum dolor tàm frequenter, neq; tàm inclementer, quàm antea solebat. Venereo etiam morbo laborantes vsi sunt hac herba in India, non isto fine, vt plenè curarentur, sed vt non sentirent dolores, excipiendo fumum. Venerea lue.

Hîc non erit extra propositum facere mentionem herbæ cuiusdam, qua vsi sunt ij qui novam Hispaniam nobis aperuerunt, in curandis vulneribus, fine eodem, quo Tabaco. Nuncupata hæc est herba Ioannis Infantis *ab inventore, sicuti Gentiana à Gentio rege, Lysimachia à rege Lysimacho, Centaureum à Centauro. Herba est aliquo modo parua, folijs Acetosæ ijsq; hispidis: quæ contusa ponunt supra vulnus. In herbæ defectu, vtuntur exiccatæ puluere.* Herba Ioannis Infantis.

De Turbit. Cap. XXXI.

DE *Turbith Arabum non parua est controuersia. Nam non nulli Tripolium Græcorum esse volunt: alij Pithyusæ radicem: alij Alypiæ. Est autem Turbit planta Orientalis, radice neq; magna, neq; longa, caule per terram extenso, digiti crassitie, duos palmos longo, interdum longiore, folijs ac floribus similis Altheæ. Insipida est cùm colligitur, atq; hinc est, quòd etiam postea nō deprehenditur acrimonia in Turbit legitimo, licet non purget sine molestia. Est verò duntaxat vtilis & gummosa caulis pars inferior iuxta radicem. Non est herba quæ seritur, sed sponte nascitur in locis maritimis, duobus aut tribus miliaribus ab aqua. Plurimum prouenit in Cambayete, Surrate, Dio insula, & Baçain. Præferunt quod gummosum, & album est. At non omne Turbit gummosum est natura sua: sed quoniam viderunt Indi à gummositate optimi Turbit notas nos petere, solent eius plantam aut contorquere, aut leuiter vulnerare, quò liquor exeat & densetur. Transactis aliquot diebus redeunt,*

Turbith descriptio.

Delectus.

*et cedunt caules, quos inveniunt plenos gummi. Unde elicimus, non esse necessarium gummi ad bonitatem Turbit, melius ex parte esset si careret illo, atque ipsum haberet reconditum intus. Neque est herba, quae habeat lac, ut scripsit Mesue, qui si de eo intellexit, quod nobis affertur ex Oriente, non minus in eius descriptione erravit, quam in alijs pluribus rebus, quas ex relatione potius aliorum descripsit, quam testis oculatus. Deinde pro praestantiori habent album. Si siccatur ad Solem, album est: si ad umbram, nigrescit, neque tamen eo deterius est. Est vero Turbit familiare medicamentum Indis ad purgandam pituitam, cui si febris absit Gingiber additur: alioqui dant ipsum in aliqua aqua aut iure pulli. A paucis abhinc annis usitatur in officinis aliud genus Turbit, quod vocant de la Tierra, & dicunt esse radicem quarundam arundinum. Quid autem sit, tam incertum est, ac solebat ante esse illud Orientale, siquidem eius electio non convenit cum historijs Arabum vel Graecorum, licet recipiatur pro bono. *Scribunt moderni, Turbit turbare corpora* Mesue error. Facultates. Turbith de alia species. * Turbith usus nō ita formidandus, contra Recentiores

propter magnam eius violentiam, atq; proinde satius esse loco eius vti Agarico, aut simili aliquo purgante phlegma. Dico, quòd si misceatur cum alijs medicamentis, vti nunc fieri consueuit in officinis, est remedium securũ, correcta eius malitia tum per præparationẽ propriam, tum admixtionem aliorum medicamentorum, quæ iuxta Gal. lib. 1. de comp. med. sec. loc. aliorum pharmacorũ magis fortium vires solet infringere: sed ipso solo vti per se, melius esset ipsum reijcere, & vti radice Mechoacan.

De Caceras. CAP. XXXII.

Radices.

IN *Goa inuenitur radix vocata* Caceras, *quæ Trasium modo nascitur in terræ visceribus, quæ deinde per siccitates caulem emittit altitudine vnius palmi, cum folijs vt Gladioli, dehiscente postea terra exilit in modum tuberis, deinde siccata, castanearum saporem refert: recens autem, ingrati saporis est.*

Trasius, Tragi, Cyperus dulcis, siue esculentus.

In campis Veronæ, & in regno Valentiæ in Hispania nascuntur radices aliquo modo similes castaneis in dulcedine saporis, quæ ab Ita-

ab Italis vocantur Trasi, & à nostris Ciafas. Sunt rotundæ & longæ, magnitudine fabæ, siccatæ autem corrugantur & contrahuntur. Planta ipsius producit folia longa & acuta, in morem Iunci avellanati. Caules sunt vnius cubiti, & angulosi, & in suprema parte sunt alia folia minora, quæ exprimunt figuram stellæ, ex quorum medio enascuntur flores spicati, aliquantulum flavi. Radices sunt multæ, & subtiles, ex quibus pendent & adhærent Chiafæ. Virtus ipsarum est valde pectoralis, vnde vtilis est multùm ijs, qui laborant tußi. Frangunt quoq; ipsas, & fractas infundunt in iure auium, aut carnis veruecinæ, & postea exprimunt per pannum lineum, atq; inde eliciunt succum lacteum, quo vtuntur quidam aßumentes per os ad excitandam venerem. Valet quoq; idem contra ardores vrinæ, & profluvium alui sanguineum, quia refrenat acrimoniam illorum humorum, inprimis si præparatur cum aqua chalibeata. Comeduntur loco fructus simul cum cortice, propter acerbitatem tamen solent quidã illum expuere, sugentes tantùm

succum. Temperamentum ipsarum, vt per experientiam est cognitum, & ex dulcedine percipitur, est calidum & humidum, & sunt aliquo modo flatuosæ.

Batatæ. Amiotes. *Camotes nostræ Indiæ, qui alio nomine dicuntur* Batatæ, *sapiunt etiam castaneas, vt Caceræ & Chiaffæ. Radices sunt magnæ & nodosæ, quas Indi comedere solent loco panis, & loco carnis. Magna earum copia est in Mexico & Mechoaca, vnde allatæ sunt in Hispaniam, in qua coluntur ex ordine cannarum sacchari. In Malaga, Veles Malaga, & alijs locis Andalosiæ sunt duorum aut trium generum. Quædam rubræ sunt in cortice exteriori, quæ præstantiores habentur: quædam sunt flavæ, non tales: & inter istas sunt albæ tàm foris, quàm intus. Comeduntur crudæ & assæ, & fit conserva ex ipsis, cùm recentes sunt, quia radix isti rei apta est. Existimo eiusdem esse temperamenti eum Ciaffis, quàmvis quibusdam videantur declinare ad frigiditatem. Quò ad vsum medicinalē: nescimus hîc aliquem memoratu dignum.*

Yuca Peruana. *Per valles Pervinas non longè à civitate S. Mi-*

S. Michaëlis ferunt & colunt Indi quasdam radices de Yuca, *quibus utiliter vtuntur ad conficiendum panem & potum, vbi deest Mayzum.* Americorum panis & potus.

De Chyna radice. CAP. XXXIII.

RAdix vocata vulgò Chyna nascitur in illa regione & Continenti Indiæ, quam Chynenses inhabitant, apud quos dicitur Lampata. Incœpit cognosci in Hispania anno 1535. adferentibus eam in Lusitaniam incolis eius provinciæ, qua sibi interea dum hîc negotiarentur, mederentur. Et tanquam res nova, licet cara & magni pretij, cœpit magna in existimatione esse, cui rei accedebat, quòd Carolus V. Imp. ea frequenter vteretur. [Et quoniam radix hæc non tantùm valet contra malum illud Indicum, verùm etiam aduersus podagram, sciaticam, membraq; horrore ac frigore correpta, expetita ideò à Carolo V. Cæsare.] *Nascitur trium aut quatuor palmorum altitudine, cauliculis tenuibus, folijs raris, & similibus Mali medicæ folijs. Radix est palmi longitudine, aliquando crassa, aliquando tenuis, quæ* Chinæ radix. Descriptio chinæ arboris.

recens

recens eruta tàm tenera est, vt & cruda & cocta possit comedi, atq; ita coquunt eam cum carne, vt hîc Napos. [& rapa] Melior habetur recens, ponderosa et densa, non erosa à tineis, & quæ alba est. Ex quibus colligitur, non esse bonam illam, quã attulerunt quidam ex noua Hispania in Castiliam, quia colorem tàm rubrum habet, vt pauca quantitate reddat aquam rubram, neq; eius est efficaciæ, vt illa alia. Propterea istius libra vendebatur decem nummis regalibus, & Orientalis quinq; & sex ducatis. Decoctum huius radicis, vltra ipsius vtilitatem in qualicunq; suspicione morbi Gallici, valet ad paralysin, tremorem, arthritidem, ischiadem, tumores phlegmaticos & melancholicos, medetur ventriculo debilitato, sanat dolores capitis antiquos, curat lapides et vlcera vesicæ, addũt etiam cũ aqua eius curari vlcera vetusta, tumores antiquos, omne genus rheumatum, obstructiones, & hydropem. Icteritiam leuat, & corrigit malam complexionem hepatis. Sanat melancholiam, resoluit flatus, & depellit febres antiquas. Eius temperamentum

Probatio Chinæ. Decocti facultates. Tẽperies.

tum est siccum in gradu secundo cum exiguo calore aut nullo, quod colligere licet ex eius odore et sapore, quibus caret. Debet infundi vncia vna istius radicis incisa minutim in duabus mensuris aquæ, per spatium 24. horarum, quibus elapsis coquitur vsq. ad consumptionem medietatis. Accipitur dimidium quarti mane, & alterum vesperi, variando decoctum secundum ægri & morbi naturā. Vt si est dolor capitis aut partium nervosarū, inijciatur rosmarinus vel rosæ: si obstructio hepatis, apium; si ardor adsit, cichorium: si vlcus vesicæ aut renum, succus liquiritiæ: interdū admiscetur æquale pondus hordei. Antequam autem huius radicis decoctum sumatur, dantur syrupi et purgationes magis convenientes; quòd si non fluat aluus, fiunt clysteres cum decocto huius radicis & saccharo nigriore, aut melle rosato, cum oleo violato, et canna fistulari. Diæta ordinaria est, Comedere pullum gallinaceum aut gallinam, perdicem, carnem vervecinam coctam cum pauco sale, vt in principio; parum sumatur iuris, aut vuæ passæ sine granis, panis sit semper multū subactus Vtendi modus.

cum

cum aniso & fœniculo, & panis benè cocti crusta, biscoctúmve, postremò convenit cydoniatum, piratum, & confectio coriandri. Dentur quoq; passæ et amygdala sacchara-ta. Vinum relinquitur, nisi magna esset virium debilitas, & ventriculi frigiditas, in quibus casibus debet adæquari cum dicto decocto. Ad hæc potus ordinarius est ipsamet aqua cum aliqua conserva. Et quoniam qui hoc decocto vtuntur, inflammantur ad libidinem: consulunt aliqui, vt per totum id tempus, quo eius vsus est, nullæ ad ægrotos admittantur mulieres: qui postquã duabus horis sudaverint, surgere poterunt, atq; sese vestire, calido in loco manere, atq; comedere. Octo post sumptum cibum horis, redeat ad decumbendũ & bibendum potum suum ordinarium. Hæc victus ratio triginta diebus observanda, nulla alia purgatione adhibita quàm principio, aut ad minus alia quindecim dierum. Conspicitur vtilitas huius decocti intra viginti dies, aliquando tardiús, & tempestiviús quoq;. Sed
NB. quando morbus est cum doloribus, communiter increscunt vsque ad quindecim dies.

post

post quos mitescunt paulatim. Similiter notari hoc debet, quòd maiores vires habet hæc radix in paßionibus antiquis, & vbi sunt magni tumores & vlcera, quàm in nouis. Elapso triginta dierum spatio, bona victus ratio seruanda est per quadraginta dies. Potus sit aqua simplex eiusdem chynæ, quæ fit, si crudæ eius accipiantur mensuræ tres & infundantur fæcibus primi decocti, vsq; ad consumptionem tertiæ partis. Coqui debet aqua quotidie, aut ad minus tertio quoq; die, quia aliâs acescit, & perdit vires. Dubitant aliqui, quare huius radicis datur tàm pauca quantitas ad tantã aquam, cùm verum sit, coqui libram vnam ligni Guaiaci, & Sarsæ parillæ quatuor aut quinq; vncias, maximè cùm Chyna sit insipida, et temperata in suis qualitatibus. Notam hanc consuetudinẽ eße pro certo existimo, ex eiusdem caritate, quia, vt notat Vesalius, statuendum est, quòd si coqueremus duas aut tres vncias huius radicis, eßet maioris vtilitatis.

De hoc T. Palmarius lib. 1. de morb. contag. cap. 14.

Quemadmodum autem postquam radix ista innotuit in regno Chinæ, ceßavit vsus ligni,

Sarsa parilla.

ligni,

ligni, quod attulerant Lusitani: Ita idem accidit apud nos Chinæ, cùm allata esset Sarsa *ex India Occidentali: quamvis colligitur etiam in Hispania, quæ tantùm differt ab illa, quæ advehitur ex nostris Indijs, quantùm Chyna Floridæ differt elegantia & bonitate, ab Orientali. Hæc Sarça parilla tàm vsitata apud istum populum, est arbustum quod producit multas radices longas atq; altas in profunditate terræ.* [*vltra bicubitalem longitudinem.*] *Emittit ramos lignosos et plenos nodis. Habetur certò pro Smilace aspera Græcorum, quæ est planta aliquantùm similis rubo communissimo in portubus & locis maritimis Hispaniæ, vbi sæpissimè eam vidimus & examinavimus, atq; in Continenti, quia in omnibus est valde similis cum illo novæ Hispaniæ, Quare cupientes facere experimentum de ipsa quæ nascitur in nostra terra, dedimus ipsam aliquibus ægrotis, & sudabant copiosissimè & cum maxima vtilitate. Contra autem aliqui dicunt esse magnam differentiam in radicibus, quia Smilacis sunt nodosæ, & Indiæ sunt læves & æquales.*

Increbuit autẽ Sarsæ parillæ vsus per Indiam post annũ 1535. Sarsæ descriptio; et an sit Smilax aspera. In qua sententia est etiã Amatus Lusit. in Dioſc. et Cent. 5. Curat. 10.

æquales. Sed, vti Theophrastus scribit, locus vnus differt ab altero, & sæpenumerò propter varietatem climatum, cœli, & soli, differunt radices non solùm in odore & sapore, sed etiam in figura. Quòd si Sarçaparilla nostra non est illa Indiæ, dicamus saltem esse plantam eiusdem generis, & similem in virtutibus. Inter Sarças Indicas melior habetur illa, quæ est ex Hondura, quæ cognoscitur, si sit, oloris spadicei, et crassior quàm illa novæ Hispaniæ, quæ valde tenuis est, & subalbicans. Qualiscunq; autem sit, debet esse recens, ponderosa, & non erosa à carie vel vermibus, quod conspicitur, si ipsa dividatur; siquidem ex antiqua quando frangitur, emittitur pulvis, vt ex carie: recens lentissima est, [flexibilis] & caret isto vitio. Temperamentum eius qui dicunt esse calidum & siccum in secundo, & propterea calefacere hepar manifestissimè; magis nituntur opinione vulgari istius gentis, quàm ratione vera. quia si judicium sumatur ex gustu, qui magnum præbet indicium de qualitate, non habet saporem acutum, neq; amarum: & si per olfactum, non habet

Lib. 2. de caus. plant. cap. 5.

Sarsæ delectus.

Tẽperies, circa quam quidã decepti.

K alie

aliquem odorem; & ita non potest dici, quòd transeat primum gradum: dato etiam, quòd conspiciantur effectus caloris, qui etiam deprehenduntur in China, quæ magis temperata habetur. Quòd si quis interroget, quomodo ergò operetur, quandoquidem non habet qualitates manifestas, non admittens proprietatem occultã, quam non potuit Galenus negare in multis medicamentis. Respondemus, quòd suum effectũ facit mediante subtilitate partium, qua Chynæ radicem & lignum Guaiacum superat, & proptérea copiosum sudorem movet, & ita videmus vtilem esse maximè morbis, qui sunt in circuitu totius corporis; & non solùm medetur morbo Gallico & Hispano, sed etiam doloribus arthriticis, vlceribus malignis, & tumoribus frigidis ex humore pituitoso. Sed sciendum est, quòd cùm vulgus tanto teneatur rerum novarum desiderio atque amore, & sint gustus hominum tàm differentes: factum est, vt fiant ex ista Sarsa multa & varia fercula, iuxta diversos modos sumendi ipsam: quia ab initio non nisi liquore quodam

Vtendi ratio, præparationisq; modus.

dam macerabant seu infundebant, et postea aliquandiu tundebant in mortario, & fiebat mucilago, ex qua benè colata cyathum satis capacem accipiebant singulo mane ad provocandum sudorem. Postea successit modus vsitatus in hunc vsq; diem, qui est accipere duas, tres, quatuor, aut quinq; vncias Sarçæ parillæ (prout volumus ipsam aquam fortis effectus) & abluta frangitur ac dividitur in minuta fragmenta, & ponitur in ollam novam cum tribus mensuris aquæ, in qua debet macerari viginti quatuor horis; quibus elapsis operta olla coquitur igne lentò ad consumptionem duarum mensurarum, & vna quæ restat capitur quatuor diebus. Fit quoq; in modum syrupi ad easdem affectiones absq; vllo metu vel nimiæ caliditatis vel siccitatis, Capiendo duas vncias Sarçæ, quatuor ligni Sancti præparati, Iuiubas octodecim, pruna passæ viginti quatuor, florum borrag. et viol. ana vnciam mediam, & aliquot grana hordei mundati. Coquitur totũ in tribus mensuris aquæ, donec remaneat vna, qua colata, in decem vncias decocti inijcitur vna syrupi

violati. Sumitur calidus vt aqua, detergendo sudorē, si provocatus fuerit. Pullum comedunt gallinaceum cū altera dicta diæta, et aquam bibunt simplicem. Potest etiam alio modo fieri, vt nempe accipiatur libra dimidia huius Sarçæ, & discissa coquatur in quatuor mensuris aquæ donec consumantur tres, & reliqua sit vna, in quam injiciuntur quatuor libræ sacchari, & coquitur in morem syrupi. Huius debent sumi tres vnciæ manè. Exhibetur quoq; radix hæc in forma pulveris. Accipiunt corticem Sarçæ parillæ exiccatum et minutim contusum, et traijciunt per cribrum setaceum, & fit pulvis. Huius accipitur pondus vnius regalis manè, & alterum noctu, quando itur dormitum, bibentes cum ipso aquam simplicem Sarçæ, & aliâs etiam ordinariè loco vini, comedentes cibos bonos. quod tamen intelligitur, si purgatum à principio corpus fuerit. Reliquum est, vt exponatur vltimus modus vtendi hac radice, qui est in forma pilularum, quas ita conficiunt. Accipiunt libram vnam Sarçæ parillæ, eamq; ablutā bis in duab⁹ aquis, benè contundunt,

Fragosi Sarsæ præparādæ ratio in formam catapotiorum.

& postea

& postea dividunt in particulas parvas, & incisam infundunt in octo mensuris aquæ per spatium trium dierum, in qua coquatur igne lento, donec maneat quātitas scutellæ, id est, vt acetabulū seu scutella eius decocti solùm remaneat. Sarça statim exempta prelo imponitur, succusq́ exprimitur ad vncias quatuor aut eò ampliùs, etiamsi ex eo qui superfuit decocti quantitas augeri debeat. Lento igni apponitur, & quidem cùm succus fervere incipit, inijciuntur sensim pulveris aloës optimæ vnciæ duæ, myrrhæ selectæ nucis ponticæ magnitudine, croci momentum (sunt qui Ligni aloë parū addant capitis roborandi causa) qui in girum continuè moventur, donec inspißentur vt amylum, quò vbi ventum fuerit, formabuntur pilulæ. Ex istis sumit æger duas primis decem diebus, & alijs viginti vnam singulis diebus sub vndecimam noctis. Et notetur, quod si malum est vetus, & subiectum validum, poßunt accipi tres primis decem diebus, & duæ alijs decem, & vna reliquis. Cibus est, media gallina elixata pro prandio, (meridie) & reliqua pars pro cœna: cui

imponatur salis, & croci momentum, et aliquot grana ciceris. Potus est aqua simplex Sarçæ. Poßunt surgere decima, & decumbere antequam Sol occidat. Mitigantur harum pilularum vsu dolores gravißimi et paralyses artuum ac brachiorum, vt monstravit experientia.

Guaiacum lignum: q̃ cum hiatu Huaiacum p̄nunciant Insulares.

Circa hoc propositum, præterire non debemus illud lignum, cuius vsum et celebritatem obscuravit quasi Sarça parilla. Vocatur id à nostris Gayaco *& Guayacan, & apud Hispanos Palus Indiæ, [tàm Occidentalis] quàm Orientalis, Inventum est in insula S. Dominici, quæ fuit prima novi orbis ab Hispanis occupata, in qua abundanter nascitur. Arbor magna est & ramosa, crescit altitudine & magnitudine Fraxini, & fit ad summum tàm craßa, ac corpus est hominis. Producit folia ampla, brevia, dura, similia folijs plantaginis, flores ipsius sunt flavi, et fructus durus in modum nucum Iuglandium. Corticem habet craßum, gummosum seu pinguem, & cor valde amplum habet, quod vergit ad nigrum. Narrarunt mihi quidam pro certo,*

Ex quo loco cū viros et mulieres in Italiam duxißet Christ. Columbus fe*runt simul* et Luem, q̃ inibi Buuã appellant eius regio*nis famili*arem intu*lißse.*

quòd arbor hæc iam benè cognita sit per Italiam, maximè Genuæ & Ticini, cum cortice habente maculas coloris cineritij & nigri, mediocris magnitudinis cum folijs latis & longioribus, & fructu simili duobus Lupinis satiuis simul iunctis. Dubitant alij qui an differãt Guayacanũ et Sanctũ lignũ. est enim qui dicat Lignũ sanctũ, non habere cor nigrũ, sed totũ flauum, et curare multos morbos frigidos, quos Guayacanũ nõ curat, & quòd vtrumque adfertur ex diuersis insulis. Vnde argumentantur, quòd vt differunt loco, figura, et facultate, ita etiã differant specie. Huius opinionis fuiße videtur quidam ex recentiorib⁹, cùm dicit, quòd postea inuenta sit alia arbor eiusdem generis cũ Guayacana in insula S. Ioannis de portu diuite, huic S. Dominici vicina, sed quæ minor est, & habet truncum ac ramos subtiliores, sine corde aut valde paruo, et est in trunco odoratior et amarior, quã sit Guayacana. Ob mirandos autem eius effectus vocatur Lignum sanctum, quandoquidem altero contra morbum Hispanicum efficacius est, quod cum ãnis nigrescit. Ex hominib⁹ autẽ fide dignis

Guaiacum et Sanctum lignum an differant.

K 4 perci-

percipitur, eße vnam eandemq́; rem: neq́; absurdum est, inveniri differentiam aliquã inter bina ista ligna in colore, figura, & viribus ob rationem terræ & regionis, sicut accidit hîc in alijs multis plantis. Vtut autem sit, ambæ arbores habent eandem efficaciam contra malum contagiosum Venereorum bubonum, & contra alias ægritudines frigidas, vt quartanam, hydropem, epilepsiam, obstructionem omnẽ, asthma, morbos vesicæ, & renum. Aßerunt quidam, lignum hoc benedictum eße aliquam, eamq́; excellentem magis speciem Ebeni. Alij dicunt eße speciem Buxi, neq́; differre vel in fructu, vel in folijs, ducti eo, vti ego quidem existimo, quòd lignum Guayacanum est densum atq́; grave, vti lignum buxi. Complexio huius ligni est calida & sicca in secundo gradu. Eligi debet novum, recenter cæsum, omnibus sui partibus cineritium, integrum, plenum, ponderosum, non cariosum, vel aliquam paßum corruptionem: sed valde resinosum & odoratũ, & ad gustum cum aliquo amarore acerbum. Ex quibus concludimus, non tantæ efficaciæ eße corticem, vt lignum

Tẽperies.
Præstãtia.

vt lignum, secundũ communem opinionem. Deinde non competunt ei qualitates dictæ in electionis modo, nisi demeretur ex arbore adhuc viridi, quia quæ remanet ex veteri, solet esse cariosa & sine viribus. Modus magis certus, qui obseruatur in administrando hoc ligno ijs, qui patiuntur malum tàm infestum vniuerso mundo, præsertim si æger frigidus potiùs sit, quàm calidus, est hic. Accipimus ligni electi, & in scobem redacti limati duodecim vncias, corticis eiusdem ligni vncias duas, macerantur per diem naturalem in tribus mensuris aquæ in olla vitreata noua, & admodum benè obturata; post viginti quatuor horas coquitur igne lento & luculento vsq; ad consumptionem duarum mensurarum, postea colatur aqua reliqua, & seruatur in vase vitreato. Hoc peracto, statim supra idem lignum, quod decoctum fuit, par aquæ quantitas inijcitur, & coquitur vsq; dum consumatur quarta pars; colatur hæc aqua, & seorsim adseruatur. Prioris aquæ calidæ dantur nouem vnciæ manè, & totidem vesperi ad sudandum: de altera verò secundi

Vtendi, & præparandi ratio.

decocti bibitur in prandio & cœna, atq; interdiu. Solemus etiam ijs qui debiliores sunt & complexionis frigidæ loco aquæ secunda dare vinum præparatū hac ratione. Supra lignum & corticem, priusquàm coquantur, iniectum in vas vinarium, ponuntur quatuor mensuræ boni vini albi ferventis, & obturato ore vasis, maneat ita per tres dies, quibus elapsis colamus vinū, & reservatur potui ordinario. Si aliquando timetur calor hepatis, cùm propinatur primum decoctum, adiungimus pugillum radicum cichorij, & buglossi, & vnciam vnam glycyrrhizæ. Cùm volumus tumorem ventris sedare alicuius hydropici, aut tollere obstructiones antiquas, aut provocare vrinam, addimus radicum fœniculi, petroselini, apij ana vnciam vnam, & corticum radicis capparis, brusci, et tamarisci, vnius cuiusq; drachmas duas. Inservit quoq; idem decoctum ad solvendū malum lienis, & propellendas quartanas, si ante dictis superaddantur duæ vnciæ senæ, et vna florū borraginis. Si phthisicum curare est animus, ligno & cortici addimus glycyrrhizā, paßulas sine arillis,

ficus,

ficus, dactylos, iuiubas, pineos nucleos mundatos, & hyssopum herbam, vnius cuiusq́. vnciam vnam. Decoctioni colatæ miscetur libra vna cum dimidia mellis electi, cum quo coquatur parum, donec consistentiam syrupi benè clari consequatur. Hoc multos phthisicos curatos esse compertum est, qui etiam de pulmonum substantia particulas eiecerunt. Sed si volumus curare sciaticam antiquam, aut magnum frigus, accipimus decem vncias ligni viginti horis macerati in tribus mensuris aquæ, coquimus postea vsq́. ad medietatem, & sub finem addimus parum salviæ, iuæ arthetica, pæoniæ, & liquiritiæ, colatura facta, inijcimus libram cum dimidia sacchari, et fit syrupus. Huius vsus est per triginta dies ita, vt decē diebus comedantur passæ & amigdala, decem sequentibns pulli, & reliquis caro vervecina. Quicunq́. hoc decocto vtitur, purgari debet ter, semel antequam incipiat pœnitentiam, secundò elapsis quindecim diebus, & tertiò in fine triginta dierū. Tempus magis conveniens ad secundā hanc aquam est vernale & autumnale, quia in æstate incendit corpora,

pora, & in hyeme minorem facit effectum: tamen si necessitas vrget, excessum illum temperamus arte, miscentes cum ligno res calidiores in hyeme, et in æstate temperatas. Quantùm ad regimen attinet, & diætam quam servo communiter, est dare in prandio à principio pullum parvum et assatum, & cum eo vuas passas, & amigdala, & tres vncias bis cocti; & in cœna solas passas, & amigdala. Inter alias ligni huius proprietates etiam est hæc, quod emendat pravum odorem oris: confirmat, & dealbat dentes, si sæpius cum eius aqua colluantur.

Sassafras historia. *Ex Florida in magna copia invexerunt aliud lignum, quod apud Indos vocatur* Pavame, *et hîc Sassafras, nomine magis Gallico, quàm Hispanico. Arbor similis Pino est, ad saporem & odorem accedit fœniculi, melior eius pars est radix.* *Natales.* *Nascitur communiter propè mare.* *Facultates.* *Complexio est calida in fine primi gradus, & sicca in tertio. Vtuntur decocto in omni morborum genere, præsertim verò in obstructionibus, & partibus interioribus roborandis, ad tertianas & febres antiquas, nauseam tollit, & appetitum*

tum provocat. Summo cum successu propinatur ex saccharo defluxione laborantibus, asthmate, pectoris vitijs ex frigiditate, & consequenter dolore colico & nephritide, calculos renũ eijcit, & flatus discutit, quam etiam ob causam vterum ad conceptionem idoneum reddit, siquidẽ illi hanc sæpissimè impediunt. Vtilis quoq; est euomentibus cibum, & ijs qui non benè concoquunt, aluumq; subducit. Illius fragmentum assiduè gestare & odorari tempore grassantis pestis, maximè præservat ab illa, præsertim si non negligantur alia remedia. Deniq; ob magnam eius siccitatem et calorem paucum, remedium insigne est ad omne genus rheumatum, quia ea absumit, modò non detur personis debilibus extenuatis, quibus haud leviter nocere, animadversum est. Modus præparandi aquam illa vti volentibus est sequens. Radix cũ cortice & ligno findatur in assulas tenues & in tribus aquæ sextarijs fictili novo duodecim horis maceretur, & coquatur donec remaneat vnus: coletur postea, & in fictili vitreato adservetur. Postmodum supra easdem assulas, tantun-

Decocti parandi ratio.

tantundem aquæ super infunditur, & coquitur ad consumptionem medij sextarij. Et hæc est secunda aqua, quæ ordinarij potus loco erit. Illud verò obseruandum est, plus aut minus ligni in decoctionem inijci iuxta vires & temperamentum ægri. Sumitur communiter media sextarij pars manè, deinde sudatur: nec quisquàm lecto se continere cogitur. Prandium sit ex aue assata, cum aliquot vuis passis, & amygdalis tostis: in cœna eadem sit victus ratio cum aliquibus conseruis appropriatis morbo, qui curatur. Singulari experimento decoctum hoc propinatum vtilissimum fuisse ijs, qui manus & pedes sic contortos ac torpentes habebãt, vt ipsis vti non possent, constat.

Importarunt quoq; ex noua Hispania radicem, vocatam Carlo sancto, *quæ crescit rependo in altum vt hedera. Radix est crassior, ex qua prosiliunt radices aliæ crassitudine vnius digiti, & valde grati odoris, gustu est amara cum notabili acrimonia; vnde iudico cõplexionem ipsius esse calidam & siccam plus quàm in secundo gradu. Habet virtutem in cortice, qua præcipuè vtilis*

est

est rheumatibus, quia ieiuno stomacho si masticetur, corpore priùs purgato, multum humoris per os educitur. Tribuitur ei amplius, quàmvis ego expertus non sum, quòd roborat gingiuas & dentes, & impedit corruptionem, & simul relinquit bonum odorem in ore. Pulvis sumptus cum pauco vino albo, aut cum aqua adianti, aut canellæ, multum prodest purgationi ordinariæ mulierculorum, aperiendo venas, & magis si vngatur venter cum vnguento Agrippæ, & corpus purgatum fuerit, atq; aliqui præcesserint syrupi aperitivi.

Miserunt ex nova Hispania plantulam subalbicantē, quæ Indis nuncupatur Guacatane. *eam cùm minùs diligenter custoditam acceperimus, nulli alteri comparare possumus, quàm illi, quæ vulgò dicitur Pilosella. Laudatur ad hæmorrhoides hac ratione. Lavant ipsas cum vino, in quo herba cocta fuerit (si non adsit calor, quia tunc melior aqua est) mox eas blandè siccant, & super inspergunt eiusdem plantæ pulverem. Et si volunt vti contra dolores ex frigore & flatibus, vngunt locū terebinthina, & postea*

et postea inspergunt pulverem eiusdem herba,& si pannus lineus super imponatu, haret emplastri modo, donec sedatus dolor fuerit. Dicunt etiam, quòd idem pulvis positus supra vlcera partium pudendarum,ea mundat & ad cicatricem perducit mirabiliter.

De Croco Indico. Cap. XXXIV.

Crocus Indiæ Orientalis est radix intus crocea, foris similis Gingiberi. Folia habet valde densa,& caulem è folijs simul implicatis constantem. Dùm recens est, propter multam humiditatem, non habet illam amaritudinem, neq; acrimoniam, quæ in ipsa siccata invenitur. Nascitur in Malavar, Cananor, & Calecut, & in Goa quoq;. Quidam pro certo habent, eam esse radicem, quam vocavit Auicenna lib. 2. Canonis Chaledfium sive Chalidunium: in rei tamen veritate non est alia quàm illa secunda Cyperis, quam Dioscorides dixit nasci in India similem Gingiberi, quam barbarè vocant Curcumam Medici, non verò Gingiber ad deaurandum.

Lib. 1. c. 4.

De Mechoacan. Cap. XXXV.

NAscitur in Aquacathan populo nouæ Compostellæ aut Galitiæ, & non in prouincia Mechoacan, vt quidam falsò putarunt ob rationem nominis, quod inde sumpsit, quia qui primi eius virtutem experti & ea vsi sunt, fuerunt Mechoacani. Natales. *Radicis huius planta folia habet magna, rotunda, acuminata, in mucronem paruum desinentia, fructu coriandri sicci magnitudine, racematim cohærente, qui Septembri maturescit. Luxuriat multis ramis super terram expansis, qui si adiuuantur, serpunt in altum modo nostri Lupuli. Semen quod nobis annis istis elapsis miserunt, est duorũ generum. Vnum est nigrum, angulosum, & valde durum: & alterũ eiusdem magnitudinis, tenerius, coloris spadicei, & inclusum siliquis eiusdem coloris, parte sua interiore nonnihil lanuginosis.* Descriptio. *Non defuerunt qui putarent, & non absq; ratione & autoritate, esse hanc radicem nostram Vitem albam. Sed Bryoniæ radix viridis & sicca admodum acris est, Mechoacan verò insipida & sine acrimonia. In hortis S. M. lis* Nõ est Vitis alba.

L   videtur

Plāta huic forte non absimilis. videtur planta nata repens super perticas cum folijs Corrigiolæ, aut similibus Hederæ: de cuius radice experimentum hoc anno fecimus, dantes pulverem eius dosi ordinaria cuidam famulo nostro, qua non solum non purgavit, sed etiam gravibus inde afflictatus est accidentibus. Ex quo apparet, parum adiutum esse medicamentum à dispositione huius soli. Porrò advexerunt

Mechoacæ species alia. huc ex Terra firma aliam speciem Mechoacan, natam circa Nicăragua & in Quito, quæ habet radicem minorem cum aliqua acrimonia, propter quam non eandem cum priore faciunt. Melior est alba, non ponderosa, insipida. Conservatur hæc radix involuta cera. Molesta non est huius radi-

Vsus & Facultates. cis sumptio, quia nullius ingrati saporis est particeps, ideoq́, pueris, senibus, alijsq́, qui cætera medicamenta respuunt, vtilis est. Pituitam præsertim, & aquas hydropicorum educit. Convenit ictero, dolori capitis antiquo, strumis, epilepsiæ, & ad catarrhos antiquos, morbos articulorum, coli, & renum. Vtilis quoq́, est in morbis muliebribus, asthmate, tussi vetere, febribus inveteratis

teratis, & deniq; morbo Gallico. Huius autem radicis sumendæ ratio talis est. Purgato priùs corpore syrupis, clysteribus, aut sanguinis missione, & diæta pro arbitrio prudentis medici: huius radicis leviter contusæ pulvis vino albo dissolutus, aut aqua fœniculi, anisi, aut cinnamomi, (si æger abstemius sit) aut vino diluto cū aqua cichorij summo mane propinatur, dimidiæ drachmæ pondere pueris, vnius drachmæ iuvenibus & adolescentibus, duarum verò drachmarum ætate provectioribus. Solet etiam sumi cum syrupo novem infusionum felici successu. Dimidia hora post eius sumptionem dormire licebit, maximè si timetur vomitus, quia somnus iuxta Galenū omnes evacuationes præter sudorē inhibet. Facta purgatione, datur iusculum, & paulò post cibus dari solitus ijs qui purgantur. Sed non possum dissimulare duos errores, meo iudicio, graves autoris alicuius moderni circa Mechoacan. Vnum committit eo, quòd dicit hac radice purgatos esse fortiores, quàm ante. Quod si id intelligitur accidentaliter, quatenus nempe tollitur causa Monardis errores.

meli, est valde vana laus, quia idem solet accidere maiori parti medicamentorũ. Quin magis ratum ac certum in medicina hoc est, quòd qualiscunq; modus evacuationis debilitat præsentem virtutem. Secundus est, quòd sumpto brodio, aut cibo aliquo comesto, non ampliùs purget. Quod falsum esse, monstravit et monstrat adhuc evidentissimè quotidiana experientia. Eundem errorem habuit in Lacte purgativo, sive lacteo succo purgante, qui elicitur ex arbusculis Malorum similitudine, quæ nascuntur in toto tractu Terræ Firmæ, Indi Pinipinichi vocant, quia dicit, quod si quis, eo sumpto, iusculum, vinum, aut alium cibum bibat vel comedat, subitò eius operationem infringi ac cessare. Revertentes ad nostrã Mechoacan, sciendum, quòd ex ipsa & sacharo faciunt tabellas Pharmacopoei Indi, quibus purgãtur. Deniq;, vt fieri solet, quòd vnum medicamentum deprimit alterũ, ita etiam postquam huius radicis Mechoacan vsus receptus est, desijt vsus Auellanarum purgatricum divi Dominici, quæ alio nomine vocãtur Ben in officinis, atq; duplices sunt,

Purgantia alia quædã Indica.

aliæ

aliæ magnæ triangulares, & aliæ minores, Ciceris magnitudine. Desitum quoq; est vti Pineis nucleis Indicis, quibus se multi purgabant: & Fabæ purgatrices, quæ nascuntur Carthagine, & Nomine DEI.

De Rhabarbaro. Cap. XXXVI.

OMne id Rhabarbarũ quod in Indiam, Persiam, & Europam importatur, nascitur in Chinarum regione, & illinc per Tartariam ad Ormuz & Alepum defertur, postea in Alexandriam, & tandem Venetias, vnde reliqua Europæ regna petunt. Nos præter id quod navigijs ex China infertur, eo etiam vtimur quod Persæ ex Ormuz advehunt, quod minùs cariem & teredinem sentit. Siquidem plus corrumpuntur aromata, quæ per mare invehuntur vnius mensis spatio, quàm quæ terrestri itinere importantur vnius anni tempore. Præterea India, præsertim in maritimis, maximè humida est, quare huiusmodi aromata diu integra servare non potest. Hoc clarè conspicitur in Rhabarbaro, quod importatum per Maium in Indiam locis mari-

Rhabarbari locus natalis.

ritimis, si non ante Septembrem in vsum veniat, inutile postea est, & corrumpitur, vt pleraq; alia aromata quatuor illis mensibus hybernis, qui sunt Iunius, Iulius, Augustus, September. Ex sententia Baptistæ Ramnusij in annotatione supra secundum volumen Marci Pauli Veneti, Est planta quæ habet folia duorum palmorum in alto similia Rumici, licet magis extensa & rotunda, expansa quoq; per terram, quæ temporis successu flava fiunt. Caulis exit quatuor digitorum, & aliquando vnius palmi, ex cuius medio prodit ramus plenus floribus paulò maioribus quàm violarum & odoris gravis. Semen fert exiguum valde, & coloris flavi. Radix magna admodum est, & qua vtimur habet corticem coloris rubri, numerosis adnatis vbiq; fibris, succo madet coloris crocei, & magnæ amaritudinis, tantæq; craßitiei ac tenacitatis, vt pro ipsius exiccatione requiratur mensis spatium etiam in ea regione, in qua nascitur. Tàm parvi autem ibi æstimatur, vt illam pro ligno comburerent, nisi tàm expetita eßet à mercatoribus. Coqui aut distillari

Descriptio.

Rhabarbarum ab incolis provinciæ Couchin fama perlatum est, & eius decocto aut aqua stillatitia sese purgare, eamq; esse causam, cur interdum tam facilè cariem admittat. Sed hactenus nemo hoc se vidisse affirmare ausus est. Error quoq; est cogitare, esse Rhabarbaricum aut Indicum aliud, extra illud Chinæ, quod vocant Rhavam. Ferunt etiam nasci aliud genus Rhabarbari in quadam civitate Tartariæ vocata Samarcandar, sed pravum, & quod solùm vtile est ad purgandas bestias. Rhabarbarum vulgare quod nascitur in hortis, non est hoc de quo loquimur, licet habeat aliquā similitudinem: sed habetur pro illa specie Rumicis valde grandis, quem Dioscorides vocat Hippolapathum. Est autem Rhabarbarum medicamentum dignum veneratione apud omne genus humanum, quia cum omni securitate, omni tempore, et omni ætati exhiberi potest, cuius insignes recensere hîc dotes nimis longum foret. Disputari saltem posset, an hoc singulare medicamentum differat ab illa radice tantùm celebrata à veteribus, & nuncupata Rha- Lib. 2, cap. 108.

ponticum, an sit vnum & idem, vti sentire videtur Paulus Ægineta. Dubitandi rationes non erant, antequam cognosceretur verum Rhaponticum.

In provincia de Quimbaia, in qua sita est vrbs magna Carthago, audimus quasdã radices nasci arborum valde vtiles ad purgandum, si earum sumatur decoctum vel infusio in aqua per noctem.

De Ligno aloës. Cap. XXXVII.

Paradisi lignum.
Dioscoridis lapsus lib. 1. c. 25.

ERravit maximè Dioscorides, cùm asserit Lignum aloës, quod Agallochum vocat, deportari etiam ex Arabia, licet non nisi in India Orientali nascatur. Ex Arabia quidem adferri potuit, priùs tamen ex India eò deportatum. Lapsus est similiter, quòd dixit substitui pro Thure ad suffimenta: sed potiùs è contra pro Agallocho substitui debuit Thus, vtpote cuius semper maior copia fuit. Dein neq; æquum est substituere rariora & inventu difficilia pro valde communibus & vulgaribus. Nam Thuris selecti centũ pondo aureo duntaxat et dimidio in Goa emuntur, tametsi ex Arabia

lia huc deportetur. Lignum verò Aloës, tametsi in eadem civitate natum, valet libra tribus ducatis. Invenitur in promontorio Comorin, & in Zeilan lignum odoratum vocatum Aguilla brava, aut lignum Aloës sylvestre, quo cremari solent corpora Baneanum, quibus religio est, vllam rem animatā comedere. Falsißimum est, quod quidam tradidit ex Barbaris, adulterari lignum Aloës cum Chamælæa, cum tota ea regione, in qua nascitur lignum Aloës, non reperiatur Chamælæa. Arbor est Oleæ forma, & quandoq; maior, de qua non potuit perfecta haberi notitia, propter multitudinem Tigridum illîc graßantium. Ferunt recens dißectū Agallochū nullo odore esse præditum, nisi postquàm exiccatum sit: imò eum odorem per vniversam ligni materiam non diffundi, sed in ipso arboris corde seu medulla colligi. Verum quidem est, quòd corrupto cortice & ligno, oleosus ille & pinguis humor fugit quasi ad interiora, illumq; odoratius reddit, sed vt odor Agallocho concilietur, minimè corruptione vel putrefactione opus est. Præfertur nigris

Rogus ex ligno odorifero.

Error de huius ligni adulteratione.

Arbor.

Odor.

Electio, & vti pbetur.

 distin-

distinctum venis, & humore multo pingui abundans. Probatur eius bonitas, si in igne positum multum humoris exudat, & non si in aquā coniectum, fundum petat atq; subsidat, magis autem electum superinnatat. Guzarate & Decan incolæ præter supradictas notas habent etiam aliam, quæ est magnitudo partium: persuadent enim sibi quò maiora sunt fragmina, eò plus facultatis in se continere.

De Ligno Colubrino, Cap. XXXVIII.

Lignum Serpentiū. *NOvum non est, advehi in Hispaniam lignorū diversa genera, quale & illud est, quod vocant Aromaticum ob suauissimum odorem sui corticis: quemadmodum & aliud quoq; allatum ex Mundo novo, quod in ligno est simile Piro, crassum, album, sine nodis, ad renum morbos, & difficultatem vrinæ appropriatum, & ad obstructiones, si in minuta incidatur fragmenta, & decoquatur cum vino, atque bibatur decoctio. Simili etiam ratione adportatur ad nos certum quoddam Lignum*

gnum adverſus omne genus animalium venenatorum, cuius pulvis necat quoq; lumbricos, tollit lichenes, impetigines, & papulas cutis. Aſsumptum in quantitate vnius vnciæ, priùs tamen tritum et aqua maceratum, vtile eſt ad acceſsiones febriles, per vomitum expurgata multa bile. Chingalæ, qui ſunt in habitatores Zeiland, hoc lignũ veneni reſiſtere didicerunt, quia in inſula illa Serpentis ſeu colubri genus eſt coronatum, ſummè venenatum, contra quod aliud pugnare volens animalculum, magnitudine viverræ, lignum hoc præmordet, vel radicem eius è terra nonnihil prominentem, pòſt pedibus anteriorib⁹ ſaliva quaſi inunctis, caput primùm, deinde reliquum corpus ſibi demulcet: poſtea ſerpentem aggreditur, & ſi vna vice non poteſt interficere, redit ad radicem ligni, donec conſequatur integrè victoriam. Vires mõſtratæ per animalis cuiuſdam induſtriã.

Tria huius ligni genera inveniuntur in inſula Zeilan. Primum et laudatiſsimum illud eſt, quod accipit ad ſui defenſionem illud animal, & eſt frutex duorum aut trium palmorum altitudine, quatuor aut quinq; ramis tenuibus, folijs Genera tria.

Perſicæ

Persicæ mali, flore racemato coloris helui, fructu Sambuci, sed rubente & duro. Radix, cuius præcipuus est vsus, similis est radicibus paruis nostrarum vitium, nodosa, densa, coloris cineritij, & amara. Teritur, & ex vino aut aqua aliqua cordiali propinatur ab animali venenato morsis: puluis quoq; huius radicis ipsismet vulneribus inspergitur. Visa est particula huius ligni Salamanticæ, año 1564. missa è Lusitania cuidam Equiti. Hoc etiam anno 1571. Doctor Ortega Medicus Cubicularius reginæ nostræ, proceræ staturæ vir, doctrina, prudentia, & authoritate grauis, monstrauit nobis inter alia simplicia etiam ligni huius fragmentum cum cortice, extrinsecus instar Populi albæ, intrinsecus colore medio inter venetum & flauum. Secundum genus habet easdem virtutes. Arbor est Malo punicæ similis, spinis breuibus & firmis, floribus flauis, & raræ pulchritudinis. Tertij generis Arbor est parua cum paucis ramis, qui, nisi in altum ligentur, sustentare se nequeunt, sed per solum sese diffundunt. Folia habet pauca Lentiscinorum

effigie,

effigie, oblonga, non viridia, sed maculis ex candido nigricantibus respersa. Radices sunt tenues, nigræ, & odoratæ.

TRACTATVS IV.

De Gummi, seu Liquoribus concretis.

De Aloë. CAP. I.

QVæ Aloë Latinis, ἀλόη Græcis, hanc Arabes, Persæ, & Turci Zebar; Lusitani, Azeure; et Castellani, Azibar vocant. Fit ex succo herbæ, quæ Lusitanis dicitur Babosa, & Castellanis Zavira, cuius est maxima quantitas in India Orientali, & in locis eius maritimis, vt in desertis, per ducenta vsq; milliaria: quámuis laudatissima sit, quæ in Socotora nascitur, vnde optima Aloë cœpit vocari Socotrina. Neq; verò laterculis ad excipiendum succũ hunc substernitur pauimentum, vt quidam recentiores scribunt, quandoquidem in tota insula non est tantum munditiei studium, nec curiositas. Præterea non adulteratur, cùm tanta plantæ huius sit copia:

Sabor vocabulo corrupto ap. Serap.

Aloës natales.

Errores quorundam.

copia: sed quòd incolæ negligentiores sunt in auferendis sordibus, quas hic succus secum rapit: ipsis emptoribus alius alio melior iudicatur. Atq. hinc manifestus fit error Dioscoridis & Plinij, qui dixerunt adulterari cum acacia, & cum gummi Arabico, cùm certum sit in regionibus Indicis non reperiri ista gummi, & si inveniuntur, sint valde rara.

Lib.3.c.22. lib.27.c.4.

Delectus. *Inter reliquas autem notas, præstantia Aloës Socotrinæ probatur etiam inde, quòd solida sit & benè compacta, & absq. suspicione mixtæ alterius alicuius herbæ. Refert Plinius ex aliquorum authoritate, inveniri Aloën metallicam in Iudæa supra Hierusalem: tamen si veritatem benè exquirere velimus tàm ex medicis Indicis, quàm pharmacopoeis eius provinciæ, intelligemus in tota Palæstina non esse talem Aloën.*

Vsus. *Quidam Medici Indi faciunt ex Aloë medicamentum, quod ipsis valde familiare est, hac forma. Tundunt folia, & coquunt ipsa cum sale, & huius decocti propinant vncias octo, & purgat sine molestia. Etiam in vrbe Goa datur hæc herba contusa cum lacte*

ijs, qui

ijs, qui habent vlcera in renibus aut vesica, vel qui purulentas excernunt vrinas, non sine felici successu & ægrorum commodo: vti experiri licet illis, qui tali symptomate laborant. Quòd cùm sit verum, non debet dici absolutè, quòd hæc planta tantùm inseruiat spectaculo ad ostentandam eius pulchritudinem, prout habet Matthiolus Senensis doctissimus Commentator Dioscoridis. Matthiolus notatur.

Aliquid similitudinis cum folijs Aloës refert novæ Hispaniæ planta, quam Indi vocant Allaguey, *& nobis* Filiagulla *dicitur ex eo, quod posteriùs sequetur. Retinet asperitatem carduorum, ob quam rem Indi provinciæ Messicanæ vicini, seminabant ipsam circa agros cultos seu laboratos aratro, vt instar sepis circumposita ingressum prohibeat in illam terram, neu sit pecori, neu pervia furi. Et quia vnius anni spatio adeò excrescit, vt mutuò simul intricentur & velut concatenentur huius plantæ ramusculi, vix quisquam audet per illa loca progredi, quia habent spinas valde longas, & ita venenatas,* Spinæ venenatæ.

vt ijs

vt ijs vtantur in suis sagittis congressuri cũ hostibus. Et sunt spinæ in principio valde latæ, & paulatim in aculeum abeunt, & tandem in acutissimũ mucronem desinunt, adeò vt ijs pro acubus vtantur ad suendũ. Longitudinem habent staturæ humanæ, & latitudinem trium digiterum transversorum.

Vsus. *Ex hac planta perficitur acetum, mel, saccharum valde pectorale, & vinum quod vocant Paclire. Folia crassiora vel ramos siccant, & ex ijs asseres conficiunt ad tegendas domos: quæ autem reiecerant, ex hisce canabum velut ducunt, & ex eo conficiunt calceos, capistra, cordas, filum, deniq; eo vtuntur, vt nos hîc vtimur, lino, & inde seipsos vestiunt. Summitatem etiam demunt ad comburendum, et sinunt crescere stolones vsq; in sequentem annum, nisi prætendant materiam ligneam ex ipsis folijs perficere, quia tunc illas ad radicem incidunt intacta etiam summitate.*

Morbi Gallici curatio. *Solebant Indi curare morbum Gallicum cum* Maggai *hac ratione. Accipiebant portionem aliquam, incidebant minutim, et imponebant in olla, quæ caperet cantharum aquæ,*

aquæ, obstructa cum maßa farinacea, & coquebatur per tres aut quatuor horas, & subitò posita olla ante infirmum, & sublata maßa, egrediebatur magna vaporis copia, ex quo sudabant multum. Aliquando accipiebant plantam, et comburebant supra cavum aliquod igne plenũ, supra quod collocabant patientem, et inde tàm copiosus exibat sudor, vt vix ferri poßet, quámvis non fiebat hoc nisi per tres dies.

De Ambaro. Cap. II.

DE Ambræ origine atq; generatione eius, variæ atq; diversæ opiniones sunt. siquidem alij pro vero aßerunt, eße sperma Balenæ; aut certè obstructionem quandam natam in eius ventriculo: alij spumam maris existimant. quæ tamen falsæ sunt. nam vbi multæ conspiciuntur balenæ, nullo modo invenitur: neq; vspiam, vbi maxima spumæ abundantia ex marinorum fluctuum motu continuo excitatur. quòd si porrò balenarum sperma eßet, in omnibus procul dubio inveniretur; & tamen certum est, in multis nihil ambræ repertum eße, & si in Ambra quid: & quomodo nascatur.

aliqua fuit, vt in ea, quæ circa Canarias, quas Fortunatas insulas dicunt, interfecta est, quam quadraginta libras habuisse narrant. accidit autem, quoniam ipsa ante devorarat: vnde quidam putarunt, rem esse in illa ipsa generatã. Ioannes Barrosius scribit esse stercus avium, quas, vt mihi videtur, Paviotte dicimus, quia ipsam comedunt, & vt fama est, paulò post evomunt. Symphorianus Campegius hepar esse cuiusdam piscis marini autumat. Sunt & qui dicant, manare bituminis instar ex profundissimo mari.

Serapio cap.196. *Medici Arabes nasci in aqua marina scribunt, ad modum fungorum in clivis & arboribus: & quandoq́; ventis ac procellis commoto & agitato mari à saxis, quibus tenacissimè adhærescit, avelli, & in littus provolvi.*

Lib. 4. de nat. foß. *Georgio Agricolæ genus esse bituminis, quod ex terra fluit, videtur.*

Garcias ab Horto. *Autor quidam in India Orientali commoratus, dùm multorum opiniones indicat & recenset, concludit omnium verißimam esse eam, quæ foßilem eam ex terra statuit. Quemadmodum enim secundum regionum varietatẽ & naturã terra interdũ invenitur ru*

tur rubra, vt bolus armenus: interdũ alba, vt creta: Ita verisimile est, esse aliquas insulas, aut terras, eiusdem naturæ cum Ambra. Quod verum esse, maxima eius copia & abundantia, quæ invenitur, clarissimè demonstrat. Nam visa sunt ingentia ipsius fragmenta & frusta, vt etiam staturam hominis æquarent, & longitudinem nonaginta palmorum, latitudinem autem duorumde viginti superarent. * *Confirmatur hoc magis ex eo, quod nonnulli asseverarunt, repertam esse quandam insulam integram ex pura Ambra, quã cùm obsignatam reliquissent, redierunt ad suos, vt comparatis rebus ad navigationem necessarijs, tandem illa potirentur; reversi verò, haud illam vsquam invenire potuerunt. Et quod año 1555. ad promontorium regni Comorin inventa est gleba Ambræ maxima, quæ ferè 3000. libras penderet, hanc cùm is qui invenerat picis aut bituminis speciem quãdam esse existimaret, parvo admodũ pretio vendidit. Ego itaq; certò mihi persuadeo, & rationi convenientius esse iudico, Ambram bitumen esse, quod ex certis fontibus* M 2 *seu*

* Invenirĕ autẽ denuò insulã hanc Deus noluit: ne vel vanis cogitationibus irretirĕtur animi hominum: vel quia primi inuentores satis grati ergaDeum nõ fuerũt: vel ꝗ ita mediocribus aucti diuitijs, tutò magis, quám immensis ad suospotues rũt redire.

Ex Garciæ ab Horto sententia.

seu alueis ex profundo maris manat ac fluit, quodq́ eleuatum & foràs quasi egressum, quatenus crassum est, facilè congelatur, & sic in Ambram vertitur, veluti in Corallo experimur, quod in aqua nascens, plantæ retinet mollitiem, & tenerrimum manet, illinc autem exemptum, confestim lapidescit. Sic & ambra flaua, ex qua globuli precarij filo traiecti conficiuntur (Latini Succinum vocant) dùm in mari latet, est mollis; translata verò ad aërem, durescit. Scribit Simeon Sethi autor Græcus, Ambram prouenire varijs in locis, & eius esse fontes similes bituminis fontibus: pessimamq́ omnium esse eam, quæ deuoratur à piscibus. Quòd autem autor ille insulam integram, quæ ex Ambra constabat, inuentam ait, fabulosum est; sicut & illud eius, qui mineralem & metallicam seu fossilem facit. Et licet fabula non esset, sed res verissima; non tamen proinde negatur, esse bitumen paulatim congelatum, quod pauca addita quantitate ad paruam, in magnitudinem aliquam excrescit, aut propter fertilitatem & abundantiam eius fontis vnde manat,

manat, aut quòd antea nemo locum cognoverit, aut ipsam collegerit. Magna in æstimatione apud Indos est, quia ipsam admiscent cibis medicamenti loco. qui vsus etiam ad nos vsq; pervenit, quòd ea sit cordi amicissima, et præcipua membra corroboret, ita vt trita ipsa & incorporata cum cera flava in formam rotundam instar libi [torta] & regioni cordis superimposita, valeat contra epilepsiam: & si cum ipsa inungatur spina dorsi, faciat contra paralysin. etiam eos qui cardialgia laborant, si Ambram olfecerint; aut si suffitum ex ea naribus acceperint, ita sensus excitat, vt eos ad se redire cogat. Eadem ratione quibusdam compositionibus miscetur, quæ describuntur à Medicis contra lipothymiam & syncopen, h. e. contra affectus cordis. Indi pretium ipsi pro magnitudine constituunt. nam quantò maior est eius portio, tantò magis crescit & augetur pretium, vti etiam in Gemmis fieri solet. Cæterùm apud Chinæ insulas pluris quàm alibi vspiam fit. Nam Lusitani eò advehentes vendebãt singulas Catas 1500 ducatis aureis. cõtinet autẽ Cate 20. vncias.

Vsus Ambræ

Pretium.

Non reperitur inter Græcos quisquam, qui Ambræ meminerit, exceptis Simeone Sethi, Actuario, & Aetio, à quibus vocatur Ambra & Ampra. Valerius Cordus, vbi eam describit, vocat Halosanthos, quod significat florem maris. Iudicatur melior quæ nitida est, [magis munda] coloris cineritij, & quæ si acu calida perfodiatur, oleaginosum liquorem resudet. Improbatur nigra, & multùm alba, quia adulterata esse creditur addito gypso, & quæ tenerior fit dùm tractatur manibus, vt cera. Ex Floridæ littoribus cœpta est adferri Ambra, quam inveniri aiunt à Cannaverali vsq; ad S. Helenæ promontorium, quæ tamen est suapte natura Orientali multò inferior, quámvis aliqui contrarium asseverent, non considerantes, quantùm Orientales aromaticæ res Occidentalibus præstent.

De cib. facult. lib. 5. meth. med. cap. 6. & 8. Tetrab. 4. serm. 4. cap. 122. Lib. prop.

Ambræ aliæ species.

Ambra Citrina.

Ambra flava, *quæ Græcis Electrum dicitur, Latinis Succinum, Arabibus Karabe, est certum genus bituminis manantis ex fontibus marinis in littora, atq; sicin magna hodie colligitur copia in Porussia regione Septentrionali, cuius incolæ eam vocant*

Plin. l. 37. c. 3. et Solin. c. 33. aiunt etiã pueniare in India.

vocāt Börnstein, Germani verò vicini Agtstein. Sunt etiam autores quidam, qui rationibus bonis probant, alijs etiam multis in locis fossile Succinum inveniri. Vnde colligitur error eorum, qui sibi persuaserunt, esse gummi ex populis defluum. Huius Karabe (quod lingua Persiana sonat, vi paleas rapiens) inveniuntur tres species; alba, flava, nigra; quæ varietas resultat ex varia mixtione elementari, quam liquor ille recipit in venis. Autor quidam refert, curari paralysin, si globuli multi filo traiecti membro, quod paralysi laborat, superimponantur. Augstein, quòd ocul*is prosit.* Error nō nullorum. Genera. Vtilitas.

Est etiam Charabe species, gummi saturati coloris, vulgò Lyncurium, quod quidam maxima deceptione existimant, ex vrina Lyncis coalescere. Lyngurium.

Hîc quoq; occurrit Bitumen nigrum, *quod invenitur in Cuba, quæ foris ad littus maris certos effundit fontes, & est veluti pix, gravis valde odoris, quo vtuntur nostri Indi ad paßiones frigidas, & nectendas seu picandas naves, quia est quasi Naphtha, cùm ei sevum misceatur. Quidam affirma-* Monardes.

runt esse Naphtham antiquorum, quã Itali Petroleum esse putant. Itaq; cùm nondum veritas eius rei comperta sit, pro re certa vendi non debet. Solum hoc scire nobis satis est, hoc bitumen Indum vsui esse in passionibus matricis, quã in locum suum reducit,
Lib.1.c.85. *teste Dioscoride in cap. de Naphtha. quod idem omne genus bituminis facit, in quo magnam nos veritatem docet. nam quia matrix semper fugit odores fœtidos, velut*
1.ad Glauc.14. *Galenus annotat, & omne bitumen sit fœtidum maiori ex parte, illam retrahit ex eo loco vbi sita est, ita vt quando sursum fertur, si naribus admovetur, subitò deorsum retrahitur, et si plùs solito descendit, suffitu inferioribus partibus adhibito, aut ipso in matricis collo imposito, cogitur illa ascendere, & sursum ferri.*

Fertur & ex nova Hispania resina, quam vocamus Liquidambar, *quæ colligitur ex arboribus vastæ magnitudinis, quæ folia habet hederæ similia. Vocatur* Oroçol *ab Indis. Maximam eius copiam invehunt in dolijs & amphoris, quia est eius vsus in suffitu, & in trochiscis odoratis cõficiendis, & simi-*

& similibus confectionibus. Est tàm gravis eius odor, vt quocunq; loco fuerit, sui ipsius facilè indicium præbeat. Virtutes quæ de ipso sciuntur, sunt: calefacere, resolvere, & mitigare dolorem, specialiter ex causa frigida. Curat etiam mala stomachi applicatum vt oxycroceum, quia ipsum corroborat suo calore, dißipat flatus, & concoctionem iuvat. Ad hæc in ijsdem affectibus miscetur parum storacis, ambræ, & musci, & extenditur in formam scuti in portiuncula corij [aluta] Temperamentum ipsius est calidum & siccum: quod infertur ex qualitatibus dictis. Vnde apparet deceptos eße quosdam ex recentioribus, qui ipsum humidũ in primo scripserunt. Quæ res vt intelligatur, præsupponimus secundum doctrinam Galeni lib. 5. de simpl. medic. fac. cap. vlt. medicamentum temperatum dici, quod neq; calefacit, neq; frigefacit, neq; deficcat, neq; humectat: proinde cùm excedit temperamentum, nomen sumit à qualitate prædominante, vocando ipsum calidũ, frigidum, humidum, aut siccum. Et vt aßequi atq; metiri poßemus exceßum, fuit neceßarium

Facultates.

Temperamenti examen.

constituere quatuor ordines aut gradus: Ita dicitur calidum in primo medicamentum illud, quod nos calefacit, non evidenter tamen, nisi illud ex ratiocinatione & demonstratione rationali cognoscamus. & idem est iudicium de frigidis, humidis, & siccis. Calida in secundo dicuntur, quæ manifestum calorem nobis exhibent. In tertio, quæ operantur et imprimunt suam qualitatem fortiter, sed non in summo gradu: & calida in quarto, quæ efficiunt crustam et vrunt: & per contrarium frigida in eodem, quæ adeò refrigerant, vt interimant. Oleum ex Liquidambar. *Ex dicta autem resina elicitur oleum, quod vocant de* Liquid—ambar, *cuius odor non est tàm gravis, & multùm inservit chirothecarijs, atq; in medicina ad illa etiam valet omnia, ad quæ Liquidambar, inprimis ad paßiones matricis, resolvendo durities, levando obstructiones, & provocando sanguinem menstruum.*

Balsamum nostrum: & Antiquorum. Balsami historia di- *Non erit extra propositum mentionem hîc facere* Balfami Indici, *quod nobis mittitur ex nova Hispania, multùm differens ab illo quod nascebatur in Palæstina & Ægypto,*

Ægypto, ex planta omnium generosissima, quas produxit Deus ad iuvandum genus humanum. Propter quod Iudæi cùm vidissent se ad extremum adductos, & ab Imperatorum Romanorum exercitu victos, vt hi non gauderent & fruerentur arboribus adeò præstantibus, absciderunt eas ad radicem, atq; vnà cum radice evulsissent penitus, nisi armorũ vi Romani conatum ipsorum inhibuissent, & in hac ipsa defensione pro victoriæ signo eandemmet reportassent. ligēter dē scripta est à Petro Bellonio obseruat. lib.2.c.39. versionis Clusij.

Et licet antiquitus Balsamum, vt refert Plinius, in duobus tantùm hortis, vtroq; regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum vni terrarum Iudææ concessum erat, sit tamen verisimile, propagatam fuisse postmodùm eius speciem, cùm Iudæa ipsa simul cum balsamo Romani potiti sunt. Præterea etiamsi aliqui dubitant, an inveniatur hodie tàm pretiosus & verus liquor, qui habebatur felicissimis illis temporibus: tamen vt rerum raritas, & per consequens ipsarum æstimatio magnas vires obtinent in concilianda fama & in vsum promovendis sui similibus, successit nostrum Lib.12.c.25. Theophr. lib. 9. de hist. plant. cap. 6.

Balsamum,

Balſamum, quod ita à principio acceptum fuit, tamq́; benè placuit, vt venderetur vncia vna pluris quàm decem ducatis, & cùm Romam primùm delatū eſset, centum æſtimabatur: neq́; obſtabat, vti credo, quòd etiámnum ſciretur, non eſſe verum Balſamum, ſed haberetur pro oleo Styracis puriſſimi, pòſt autem, tanta eius copia Hiſpalim illata, cœpit minoris fieri. Sed quantùm ad eius Originem, habetur hoc pro compertiſſimo, noſtrum hoc Balſamum manare ex arbore Punica maiore, cuius folia vrticæ ſimilia ſunt. Elicitur duobus modis. Vno quidem, vulnerando & incidendo arboris corticem, & hoc eſt multò melius: Altero, quod eſt communius apud Indos, incidendo ramos & truncos arborum, & diuidendo in valde minuta fragmēta, quo facto, coquuntur in ſufficiente quantitate aquæ in aheno ampliſſimo: inde, vbi refrixit, colligitur cochleari magno oleum quod ſupernatat, & hoc eſt Balſamum quo vtimur. Color eius vergit ad nigrū, & eſt ferè vt perfectiſſimè cocti muſti, h. e. ſapæ: acris eſt ſapor cum leni amaritudine: & odor valde vehemens.

Origo.

Naui-

Navibus recenter ex Terra firma appulsis advecta est magna eius quantitas, quod per incisionem defluit ex arbore grandi & frondosa cum duobus corticibus: vno crassiore, vt suberis, altero tenui tenacissimè intus adhærenti, inter quos asserunt oriri balsamũ instar lachrymæ clarissimè albæ, & odoris tàm suauis, vt facilè possit cum eo cõferri, quod diximꝰ periisse in Ægypto. Fructus arboris est, vt cicer albus, cum pauco amarore, positus in siliqua longa digitum vnum, quo vtuntur Indi ad suffitum in catarrhis & doloribus capitis. Facultates aliæ eius hæ sunt. Sumptus per os ieiuno ventriculo curat asthma, & prouocat sanguinem menstruum in mulieribus, positus in pessariis. Quòd si guttæ quædã certæ ipsius in volam manus ponantur, & manè ieiuno ventriculo accipiantur per aliquot dies, magnum remedium est contra dolores antiquos ventriculi, præsertim in causa frigida, ad debilitatem & infirmitatem nerⱺ vorũ, difficultatem vrinæ, & obstructiones matricis (etiã applicatũ in forma vnguenti, prout & exhibitum bibendum in vino) est Facultates.

est salutare pharmacum, levat obstructiones splenis, mitigat dolorem colicũ, multùm valet in doloribus iuncturarum, & multò magis sedis, est optimum remedium adversus quæcunq; vulnera, parva unit & glutinat citissimè, & quibus adiuncta est contusio digerit, mundificat, carnem & cicatricem inducit. Dicitur quoq; de ipso (tametsi non sim expertus) quòd si in febribus longis, quæ rigorem habent, spina dorsi eo benè calente inungatur dimidia hora ante paroxysmum, & æger benè sese cooperiat, atq; sumat statim quinq; aut sex guttas in vino, ab horrore liberatur, tribus aut quatuor vicibus si fiat. Ut breviter finiam,

Temperametum. *Temperamentũ eius est calidum et siccum in secundo gradu, & substituitur in medicamentis in locum Opobalsami legitimi, uti docuimus in nostro libro de Substitutis medicamentis. Quod intelligitur de eo, quod diximus esse lachrymam suavissimam, & non de eo quod per coctionem elicitur.*

Balsama artificialia. Horum descriptiones *Fiunt vulgò & alia medicamenta, quæ Balsama vocant, tùm propter similitudinem, tùm propter effectus, cùm sit liberum*

berum omnibus nomina imponere ad placitum: inter quæ est Balsamum compositum, quod describit Andreas Lacuna ex authoritate Matthioli, & illud quod vocant Domini Ioannis de Granata, excellens remedium ad profunda vulnera partium carnosarum, quemadmodum copiosiùs docuimus in nostro libro de Chirurgia, ad quem in hac parte Lectorem remittimus. *plures extant tum apud alios, tum verò Matthiolū & Fumanellum.*

De Anime. CAP. III.

ANime est gummi quoddam Lusitanorum navigationibus & industria allatum in Europam, atq; adfertur ex Guinea, & alijs regionibus Africæ, & insulis circumuicinis. Colligitur ex arbore admodum grandi, quæ habet folia, vt aloë. Inveniuntur huius gummi tria genera. Primum quod flavescit, & simile est Succino, ac habetur pro vero Cancamo antiquorum. Ex quo docti aliqui viri pro certo tenent, esse olestri speciem, & moventur ratione gravi, siquidem etiam attrahit paleas, & in suffumigijs præbet odorem similem, & est etiam pelluci-

pellucidum, & habet eundem colorem, sed, quámvis opinio ista speciosa sit, tamen nos lubentius credimus cancamum & Anime album esse idem. Alterum nigrescit, & ferè simile est taurino glutini, sive illi resinæ, quam vocamus Picem græcam, quam quidam dicunt esse verã Myrrham aminneam
Lib.1.c.7. *Dioscoridis. Tertium genus est pallidum & resinaceum retorridumq́. His omnibus ad suffumigia vtimur, & videntur habere*
Anime Occidentale. *idem temperamentum. Affertur ex nova Hispania Anime, quod cùm sit album, vertit ad colorẽ thuris, & per grana, vt ipsum thus, at crassiora. Olet valde suaviter, & iniectũ in prunas facilè consumitur. Differt ab Orientali in eo, quòd non est ita album, nec ita lucidum, & quòd non nascitur tàm magnis fragmentis transparentibus, ita vt quidam dixerint esse speciem succini. Anime Novæ Hispaniæ colligitur ex arbore mediocris magnitudinis, per incisionem, Thuris aut Masticis modo. Vtimur ipso maximè ad dolorem capitis ex causa frigida, et ad catarrhos præcedente evacuatione necessaria, cubiculis, per hyemem et capitis operimen-*

operimentis, dormire sub noctem volentibus, suffitis: magis adhuc, quando laborat aliquis hemicranea, aut alio quovis dolore capitis, qui fiat ab eadem causa. Miscetur emplastris & ceratis, vbi necesse est resolvere & confortare cum calore, si addatur ceræ pars tertia. Habetur pro calido in secundo, & sicco in primo, contra opinionem aliquorum, qui non viderunt ipsius effectus, dixerunt esse humidam.

Importatur ex noua Hispania aliud genus resinæ, quod vocant Copal aut Pancopal, valde albũ, lucidum, & transparens. Eo vtebantur Indi in suis sacrificijs, et cùm Hispani primùm cœperant in eas regiones venire, obviam euntes ipsis exceperunt huiusmodi suffitibus cũ Copal factis, in signum amoris & obedientiæ, tanquam vasalli. Vtuntur ad suffitum capitis in causa frigida: & ad hoc propositum memini, quòd cùm hospitæ meæ dolore capitis laboranti datum esset parum huius Copal, quo suffumigium faceret, secunda vice liberatam esse eam à dolore, atq; proinde maximas Deo egisse gratias, & illi qui tantum beneficium contulisset. Copal.

tulißet. Calidum habetur in secundo gradu, & temperatum in siccitate & humiditate; ex quibus qualitatibus poßunt colligi aliæ, quæ dicuntur secundæ, vt resolvere & confortare.

Tacamahaca. *Etiam fertur ex nova Hispania gummi, vocatum* Tacamahaca, *Colore est galbani, odorem habet gravem, atq; saporem non bonum. Elicitur vulnerata arbore, admodum odorata, magna vt populus, producit fructum coloratum, vti Pæoniæ est. Medicamentum in vsu creberrimo apud Indos, ad resolvendas & maturandas inflammationes, atq; mitigandos dolores ex causa frigida, sive sit humor, sive flatus. Quòd si injiciatur super prunas, & fumus excipiatur naribus, mulierem vteri suffocatione laborantem ilicò liberat, & ad se redire facit. idem præstat impositum vmbilico emplastri modo. Adhæret ita firmiter, vt auferri antequàm suam operationem perfecerit, non poßit. Vtilis admodùm perhibetur eße in reprimendis fluxionibus, posita in modum epithematis. experti tamẽ sumus iam, nõ tàm benè succedere, ac ab aliquibus scriptum*

ſcriptum eſt. Si miſcetur cum ipſa tertia pars ſtyracis, & parum ambræ, in formam emplaſtri, atq; ponatur ſupra ventriculum, confortat eum, excitat appetitũ, concoctionem iuvat, flatus diſcutit. Levat mirabiliter dolorem iſchij, (Sciaticam vocant) maximè ſi eſt ab humoribus frigidis, addendo tertiam partem ceræ, vt faciliùs applicari poſſit. Habetur pro calida in principio tertij gradus, & ſicca in ſecundo.

Etiam adfertur ex Continenti per Nombre DEI alia reſina eiuſdem coloris cum Tacamahaca, ſed ſplendidior, & tenerior, quàm vis maioris denſitatis, quam Indi lingua ſua vocant Caranna. *Complexio eius eſt calida & ſicca in tertio gradu, & in ſumma valet contra omnes paſsiones, quibus vtilem eſſe diximus Tacamahacam, excepto quòd operatur cũ maiore potentia.*

De Aſa fœtida. Cap. IV.

SCiri vix potuit, quæ ſit ea planta, ex qua gummi manat, quod Arabes vocant Altiht, Indi Imgu, Dioſcorides & Plinius Laſerpitium, quia è longinquis adfertur Anhit. Imgara. lib. 3. c. 78. lib. 19. c. 3.

N 2 regio

Asæ f. origo. regionibus. Colligi quidam dicunt ex arbuscula, quæ Avellanæ similia habet folia, cuius fissis et dissectis ramis, trunco, caudice, quod manat poni in corio vaccino, vncto priùs certa quadã massa facta ex sanguine & farina fabacea ad sui conservationem: et quòd hac ratione, quando videmus in ipsa aliquid quod videtur esse farina fabacea, non est inditium adulterationis, sed puritatis. Decipiuntur qui putant, Asam fœtidam differre à Laserpitio, quod ab antiquis receptum fuerit in cibos, & Asa fœtida in medicamenta. nam nihil est vsitatius in tota India, Asa ista fœtida, cùm medicis in vsu, tùm condiendis cibis. Solent enim illi Asam suis iusculis et oleribus commiscere, confricato primũ ex eo lebete, aut cochleari culinario, nõ quærentes aliud condimentum in omnibus ciborum generibus. Duo habent Indi istius gummi genera; vnum purum & transparens, quod simile Succino flavo est; alterũ fœdum, turpe, & craassum. Parvum melius est et fortius in odore, quod maximè quærunt mercatores, quanquam tàm vnum, quàm alterũ malè olet, & deterius quidem, quod

Eadem cũ Laserpitio.

Genera.

Electio.

quod melius est, & qui consueverunt comedere, dicunt vehementiùs olere purum & lucidum. Vnde fortè factũ quod Avicenna diviserit Asam in fœtidam, & odoratam. Est & maximus error existimare præter antiquorum placitum, Benzoinum esse speciem Laserpitij, vt postea clariùs videbitur suo loco. Error quorundam.
Vtuntur Indi hoc gummi ad confortationẽ stomachi, ad discutiendos flatus, ad excitandam venerem, cui magis sunt dediti naturaliter. Administratum in suffumigijs, resoluit totam malignitatem & corruptionem aëris, vnde plurimùm valet contra pestem. Suffitus eius confortat cerebrum, corroborat omnes operationes animales, & valet ad infirmitates frigidas capitis, si priùs purgetur corpus, vt non fiat attractio humorum. & propterea, quámvis Diosc. dicat positum in dentibus perforatis seu excavatis, [cavernis dentium in dolore inditum ceræ inclusum] aut masticatũ cum thure in panniculo levare eorum dolorem; non bonum est hoc facere, nisi mundato priùs corpore, quia attrahit fortissimè, & auget tantopere dolorem, vt ad desperatio- Vsus. Lib.3.c.78.

 nem

Lib. 22. cap. 23. nem deducat infirmum, vti scribit Plinius, qui se ea de causa præcipitavit ex alto.

Helianthemon Peruvianum. Ex hoc effectu & ob similitudinem cum caudice & ipsius resina, non erit à proposito alienum mentionem facere herbæ regionis Peru, quæ magni est nominis, & ob excellentiam ac vsum magnum multis dotatur appellationibus. Apud nos dicitur Flos Solis, Gigantea [ob magnitudinem] Alij vocant Solem Indicum, Coronam regiam, Craterem Iovis, Amoris tubam, & rosam Hiericontis. Nascitur horis valde paucis, si semen seminetur tempore valde calido, & adeò crescit velociter ac citò, vt sex mensibus perveniat ad maiorem altitudinem lance, & alijs in locis multò altius increscente trunco, maximè in terra admodum stercorata & vmbrosa. Quantùm autem constat experientia, herba est, quæ singulis annis nascitur & perit, non facit ramos, sed solum caulem, & quæ habet folia, non dissimilia sunt folijs cucurbitæ, nisi quòd sunt acutiora, & in formam cordis. In summitate trunci producit fructum plenū resina, quale est oleum Abiecinum, licet odoris

suavioris

suavioris. Similiter quacunque parte incidatur planta, exit certus liquor, qui virtute Solis & aëris vertitur in gummi, quòd si misceatur cum dicta iam resina, aut dissolvatur ad ignem, odorē expirat gravem, & quasi similem odori Anime. Habet hæc herba mirabilem proprietatem inter alias, & est ista. Quando oritur Sol, obvertit sese ad Solem iuxta altitudinem sui trunci, tanquam ei exhibiturus reverentiam, & cùm multùm sese erexerit, quiescit ita usque ad vesperam qua Sol ad occasum vergit, & tunc vertitur ad alteram partem, qua non conspicitur, nisi sumpta quasi priùs abeundi licentia, postquam autem Sol occiderit, denuò sese erigit, sicque usque ad alterum diem permanet, quem eodem modo transigit. Planta hæc annumerari potest oleribus, siquidem gustata non malè sapit, atque comedi potest folium eius, ablatis nervulis & villis, ex quibus dependet, mundando cū linteo seu abstergendo lanuginem quam habet. Et si volumus illa vesci in acetarijs, iungimus multa simul folia, quæ manu circumvoluta cultello scinduntur, atque cum aceto, sale, & Usus.

aromatibus parantur positis in cochleari grandiore, & coquuntur igne leni, atq; ita benè sapiunt. Fructus quoq; quando adhuc tener est, si pili quos habet removeantur, vt fit in scolimis, in quo clausum est semen, longè sapidior est, quàm vllus Carduus. Per experientiam de hac planta constat, quòd multùm stimulat ad venerem, tàm folia eius, quàm fructus: qui habet magnam rotunditatem, vt norunt omnes qui eam plantant in nostris hortis aut in vasis fictilibus, & semẽ valde copiosum, eo dispositum ordine, quem servant apes in favis. Est itidem planta hæc in magna æstimatione, quia producit oleum resinosum, & gummi delicatum tàm in cibo, quàm in potu, post tanta abundat humiditate, vt si masticetur tenera eius portio, à qua dependent folia, humorem seu succum tantum de se edit, vt admirationi sit. Præter ea quæ dicta iam sunt, ipsius trunci succulenti & crassi sunt valde apti ad faciendum ignem, propter humorem illum resinosum, qui ardet vt tæda cùm intus arundinum modo sint vacui.

De

De Bdellio. Cap. V.

BDellium est lachryma valde communis nomine, rara admodum cognitu, propter quod variæ de eo opiniones sunt, vt vix scire queas, quam sequi debeas, quibus pleni libri nostrorum authorum sunt. Vt autem hoc per transennam q. & obiter moneam, non desinam improbare opinionem eorum, qui affirmant Myrrham vsitatam esse perfectissimum Bdellium, quia neq; odore, neq; sapore, neq; colore ei respondet. Nec verò meliùs sentire video Pharmacopolas, qui Bdellium ex Myrrhæ fragmentis volunt colligere, quia incensum det odorem gummi sine vlla fragrantia. Quare existimo, quòd si aliquod invenitur, esse id tàm paucum, vt servetur ad ostentationem potiùs, & ad adulterati dignotionē. Nascitur et in Arabia, Indiaq; & Media, & Babylone. Arbor quæ ipsum producit est nigra, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici naturaq;. Quod verò curiosi quidam & superstitiosi homines narrant, esse magnitudine nucis iuglandis, figura quasi triangulari, ad ficum quodam modo accedente,

Error quorundã, circa Bdelliũ et Myrrhã.

Plin.lib.12. cap. 9.

odoratum, colore veneto, putamine duro, quod nucleum intus continet: Hoc gummi aut liquor vocatur quibusdã Bdellium Iudaicum, quod est illud ipsum, de quo nunc loquimur, ad differentiam alterius generis, quod Serapio author Arabs docet esse fructũ nostri vulgaris Palmito, in Catalaunia & Valentia dicti Margaillon, & Neapoli Cephaillon: et secundum nostram opinionem est Meschum Avic. lib. 2. tract. 2. cap. 115. Bdellium verum plurimùm laudatur ab antiquis ad emolliendos tumores duros ex causa frigida reductum cum saliva ieiuni hominis in formam emplastri. Probatur gustu amarum, translucidum, taurino glutinis simile, intus pingue, liquescens [mollescens] facilè, ligni et aliarum sordium expers, suffitu odoratũ, præbens de se odorem gratum similem odori vnguis odorati, aut, vt dicunt alij, simile vngui, nõ in odore, sed figura, quoniam Plinius scribit, multos ei esse candidos vngues. Succedaneum huius est gummi Ammoniacum, quod quidam vulgò vocant Aguaciaque, de quo suo loco.

Palmito.

Loco ante alleg.

De

De Beniuino. Cap. VI.

Beniuinum an sit species illa Laserpitij, ab antiquis vocata Succus Cyrenaicus; est controuersia multùm agitata inter authores. Et ad probandum quòd non sit, multùm iuuat, quod scribitur à Strabone, Theophrasto, Dioscoride, Galeno, & Plinio. Visum est Doctori Garçiæ ab Horto in suis Colloquijs, esse valde efficacē rationem contra nos, qui sunt opinionis cōtrariæ, quòd nempe nemo visus sit Beniuini vsus in condimentis, prout vtuntur Indi Orientales qualicunque specie Laserpitij. Quod quidem argumentū idipsum non videtur euincere, quia multa comedebātur ab antiquis, quorum vsus esse desijt, vt sunt Asphodeli, Rumex maior, Lupini satiui, & Solanum, cum alijs leguminibus, & oleribus, vti meminit Gal. in libr. de simpl. medic. fac. Fortior ratio, quā inter alias inuenio, quòd Beniuinum nō sit Succus Cyrenaicus, aut Laserpitium odoratum, est: quòd Dioscorides tribuit illi facultatem acutā, quàm Galenus calidissimam facit, qualem non habet Beniuinum, quia gustatum non relin-

An sit Laserpitium: & quid.

Lib. vlt. Geogr.

Lib. 6. de hist. plant. c. 3.

lib. 3. c. 78.

lib. 8 simpl.

lib. 19. c. 3.

quit acrimoniam aliquam. Huc facit, quòd cortex fortis, qui invenitur adhærere Beniuino, testatur esse ex arbore grandi, & non ex planta ferulacea, quæ est ferulæ similis, vti est Laserpitium. Plinius dicit, quòd vendebatur ad pondus argenti denarij pensum, & quòd tanti fiebat à Cæsare, vt conservari iusserit in ærario inter aurum & argentum. Vnde possumus colligere, rem tàm raram, & tanti pretij, non esse Beniuinum speciem per vniversum mundũ notam, et non magni pretij. Sunt etiam qui dicunt, Beniuinum Amygdaloides esse selectissimam Myrrham, quã Dioscorides nominat Troglodyticam, hoc argumento quod idem scribit habere maculas albas vt vngues: & quia tradit Plinius adferri ex India quoddam genus Myrrhæ, quámvis dicat esse omnium vilissimam, contra opinionem illorum authorum. Averroës inter Arabes voluit vocari Belenizan, aut Belenzan, sive Petrozan, & dicit esse calidam in secundo gradu cum æquali siccitate, quòd stomachum languescentem corroborat, oris odorem cõmendat, et ad venerem provocat.

Lib. 5. Colligat c. 56.

Inveni-

Inveniuntur diversa genera Beniuini: inter quæ quod magis æstimant mercatores est Amygdalinum, quod vngues seu maculas candidas habet admixtas amygdalarum instar: & quò pluribus huiusmodi maculis abundat, eò habetur melius. Est & aliud genus ipsius magis nigrũ & minoris pretij, quod nascitur in Iaoa & Samatra: atque etiam aliud profluens ex arboribus novis, vocatum propter bonum odorem Bengui de Bononinas h. e. Benzoinum florum, quod decuplo carius est quàm illud alterũ, quia odoratius. Ceterùm Benjui è novis & tenellis arboribus profluens Amygdoloide odoratius esse, censeo fieri propterea, quòd gummi multum suæ fragrantiæ nativæ vetustate deperdat. Et quia album est elegantius, nigrum verò odoratius, ideò vnum permiscent cum altero, vt simul cum odore bono gratum etiam sit oculis. Benjui arbor maiore ex parte alta est, magna, pulchra, abundans multis ramis, ordine elatis, qui spargunt magnã vmbrã. Truncus crassus est, & durus. Folia sunt aliquãtùm minora folijs Citrij aut Limonis, quámvis nõ adeò Genera. Benjui historia.

viridia, quia in parte inferiore albescunt; & quæ in ramis maioribus seu craßioribus enascuntur, magis accedunt ad folia Salicis. [paulò ijs latiora, breviorag.] Nascitur aliquando in insulis de Malacan, sed optimum est quod provenit in Siana. Habent in more positum, findere arbores, vt gummi promanet abundantius, quod Latini recentiores vocant Ben Iudaicũ, quia primùm manifestatum eße dicunt in Iudæa.

De Camphora. Cap. VII.

Caphura. *Non invenimus inter Græcos antiquos aliquem, qui fecerit mentionem Camphoræ, quæ vulgò dicitur Alcamfor, quámvis ex Græcis recentioribus eam cognoverint Aetius, Simeon Sethi, Actuarius, & Nicolaus Alexandrinus. Est autẽ duorum generum: Caphura scilicet quæ de Burneo, & quæ ex China advehitur. Prioris libra vna tanti emitur, quanti centenæ libræ alterius: causa poßit eße pauca ipsius quantitas, & multa Chinensis. Gentiles & Baneanes, qui eam eruunt, quatuor eius faciunt genera, dividentes in caput, pectus, crura & pes*

Camphoræ duæ species.

& pedes. Libra capitis venditur octoginta pardan, quorum apud Indos singuli æqui valent decem regalibus nummis Castellanis: libram pectoris vendunt viginti: crurum, duodecim: pedis, quatuor, & ad summum quinq;. Curiosiores vendunt Camphoram traiectam priùs per quatuor instrumenta aenea, vti vniones solent. Quæ transit per foramina maiora, constitutum habet pretium: quæ per mediocria, aliud: quæ per minora, aliud: quæ per minutiora, aliud magis differens. In ea verò discernenda tàm sunt periti, vt facilè agnoscere possint, an vna Camphoræ species cũ alia permixta sit. Circa huius essentiam, non defuerunt aliquorũ autorũ figmenta, et variæ opiniones. Quidam enim dixerunt esse certũ genus bituminis Indiæ, & Platearius Salernitanus vult fieri ex succo cuiusdã herbæ, quod probat ex Dioscoride, quasi ipse eã cognouisset, aut de ea tradidisset. In ipsa autẽ rei veritate, quæ magnâ curâ & diligentiâ inuestigata est per Lusitanos, qui nauigarunt in Calecut, est: Quòd sit gummi arboris, (non medulla, aut cor, vti quidam dixerunt) quod

Camphora cribrata.

Quid sit: in quo aliquot autorũ errores notantur.

quod in meditullio arboris nascitur, & per rimas ipsius exudet, vti clarè conspectum est in asseribus et tabellis ex eadem arbore. Fluit principio valde alba, non habens maculas nigras aut rubras. Dicere autē, quòd rubra sit, quando colligitur, postea autē vel calore Solis, vel ignis artificio fiat alba, est res ridicula, et falsò sibi persuaserunt Arabes, qui talia scripserunt.

Vsus.

Vtuntur illa ordinariè sacerdotes illarum regionū in suis sacrificijs, vt nos thure.

Arboris descriptio.

Arbor est similis magnitudine et pulchritudine Nucijuglandi, tàm latè sese fundens, vt sub vmbra ipsius commodè stare poßint centum homines & plures, aliquibus in locis. Folia sunt alba, & similia folijs Salicis. an flores & fructum habeat, incertum est. Caudex est coloris cineritij, vt fagi, aliquantò nigrior, substantia mediocriter densa.

Caphuræ adulteratio.

Quæ ex Burneo adfertur, plerumq; admista habet lapidum fragmenta, aut gummi quoddam,

Chamderros.

quod Indi vocant Chamderros, quod simile est Ambræ coagulatæ, aut scobi ligni serra diuisi. Sed mox cognoscitur, quia nullam præter hanc adulterādi rationē habet. Nam

Nam si conspicitur aliquando eum aliquibus maculis albis aut nigris, ex madore id provenit, aut ex impurarum manuum contrectatione. Quod vitium facilè corrigunt Baneanes: Siquidem colligatam in panno lineo, in calidam aquam clàm demittunt, addito sapone & Limonum succo, deinde probè elotam in vmbra siccant, & fit multò candidior quàm fuerat antea, nullo ferè dispendio ponderis. Visum quibusdam est, compositam esse Camphorã Chinensem cum aliqua parte Burneensis. Ad quam opinionem confirmandam allegantur Baneanes de Cambaya, pro arcano dicentes, in defectu Burneæ solere se parum eius miscere cum multa Chinensi, & vocant falsò de Burneo. Pro certo ac vero hoc statuunt, bonam & perfectam non evaporare neq; corrumpi, vt illa, quæ non est de Burneo, propter mixtionem, quæ in ea fit. Et ad illius conservationem, & vt sint magis securi ij qui eam habent, ne resolvatur in fumũ, servant ipsam in vasis marmoreis, aut alabastrinis cum semine lini aut psilij. Probat eam Symeon Sethi, quæ posita supra panem calentem, Electio.

cũm de furno eximitur, liquescit & resoluitur statim in aquam: contrà, siccatur.

Cõplexio. Circa ipsius temperamentũ sunt contrariæ opiniones, dicentibus quibusdam esse calidam et siccam in tertio gradu, alijs calidam in secundo. Priores pro se habent autoritatem Auicennæ et Serapionis cum alijs multis Arabibus, & experientiam, quæ monstrat refrigerare hepar & renes, & semen adstrictione quadam retinere ijs, qui ob id sunt infirmiores, & mulieribus purgamenta alba, bibita cum pulvere succini & cum aqua nymphea, & mixta in collirijs sanat inflammationes oculorum. Qui verò sunt à parte contraria, arguunt esse calidam, quia talis ad gustum apparet, ob odorem acutũ, subtilitatem, leuitatem, & siccitatem substantiæ, quæ omnia magnum præbent argumentũ caloris. item quòd nulla res frigida incenditur facilè, at Camphora est tàm amica ignis, vt incenso vno grano ipsius, & posito in lampade plena aqua, purissimam de se flammã præbeat. Huc facit, quòd Galenus in multis locis res eius conditionis iudicat esse calidas. Posita ista varietate & repugnan-

Tract. 2. de medic. cord. cap. 2.

Cum quibus sentit etiã Auerroes. lib. 5. Collig.

9. de Temperam. 5.

repugnantiæ opinionum (quam multis rationibus mirantur quidam) inclino magis ad eam, quæ gummi hoc affirmat esse calidum ob ea quæ adducta ante sunt. Quantùm ad experientiam, quòd refrigerat inflammationes oculorum & vredines, dicimus quòd eam facultatem accipit ab ijs rebus, cum quibus miscetur, et quòd (vt notū est) multa medicamenta calida applicamus in inflammationibus oculorum, & in alijs specialiter post principium Quod ad reliquum, an Camphora relinqui debeat in compositionibus vsualibus pharmacopoliorum quas ingreditur, non est huius tractatus.

De Lacca. Cap. VIII.

Circa naturam et generationem gummi, quod vocatur Lacca, affirmabant quidam in Pegu clarißima vrbe Indiæ flumina exundare atq; alveum suum superare solere, aqua deinde defluente, in lutum quod remaneret bacillos ab incolis inijci, in quibus prægrandes formicæ nascerentur, & eæ quidem alatæ, quæ multā Laccam accumularent. In ipsa autem rei veritate cōpertum

est, inveniri in India arborem altissimam, folijs quodammodo Pruni, cuius rami implentur magnis formicis, quæ hanc Laccam elaborant, vt apes mel conficiunt, materiam ex ipsa arbore sugentes. Hos deinde ramulos, ab arbore revellunt atq; incolæ in vmbra siccant, donec decidant ramuli, & separetur ab ijs gummi valde limpidum & nitidum, licet aliquando ligni fragmenta adhæreant, vti oculis cernere licet: verùm non tàm bona habetur, vt ea, quæ sine ligno est. Quin formicas hanc Laccam elaborare, inde manifestum est, quòd plerumq; alas earum videamus mixtas cum Lacca. Ex ista Lacca corrupto vocabulo fiunt illi pastilli rotundi, qui dicuntur Lacre, quibus vtimur ad obsignandas literas, & diversorum colorum sunt. Quidam ex veteribus gummi hoc dixerunt esse Cancamum Græcorum, quod est falsum: quin nec ipsi Arabes rectè cognoverunt, vti patet ex eorum descriptionibus.

Lacre. Lacca sigillatoria.

Errores quorundā.

De Lycio. Cap. IX.

Lycium antiquorum, quod alio nomine

quidam Pyxacantham vocant, erat succus concretus, qui apud multas nationes dicitur Cate, ex quo vnà cum Betre & Areca componunt Indi quoddam medicamentum ad confortandas gingivas. Arbor ex qua hic succus extrahitur, magnitudine est Fraxini, folio Ilicis aut Tamaricis, quod semper viret: florere affirmant, sed fructum ferre negant: spinosa est: materies ligni est robusta, dura, ponderosa, corruptioni non obnoxia, sive exponatur Soli, sive immergatur aquis, quam ob causam incolæ lignum semper vivum nuncupant. Ex eo propter duritiem et pondus fiunt pistilla degluman-dæ oryzæ idonea in mortarijs ligneis sex palmos in ambitu continentibus. Ex dictis patet, quantùm differat arbor hac ab ea, quam nobis depingit Dioscorides cum folijs Lib. 1. *Buxi, tametsi non constare sibi videatur in* cap. 114. *fine capitis de Lycio Indico. Plantas legitimi Lycij dicunt inveniri in alpibus Gennæ, & in Dalmatia, tametsi præstantiores nascebantur in Lycia, vnde illi manavit nomen. In ripis Tagi et Sciaramæ nascitur arbustum spinosum cum folijs Buxi, vulgò*

vocatum Tamaio, ex quo conficiunt scopas, & fasciculos ligni ad comburendum, quod nostro iudicio est Lycium verum. Succum ita eliciunt. Ramos minutim concisos elixant, deinde contundunt, post cum farina Nachan (est semen nigrum & parvum simile Sinapi) & cum pulvere cuiusdam ligni nigri formant tabellas, quas in umbra siccant, ne Solis calore virtus earum consumatur. Deniq; vtut Lycium verum hodie non reperiatur in officinis: possumus tamen eius loco æquiualens substituere, vt alio loco docuimus.

De Manna. Cap. X.

Manna quid. *MAnna est halitus quidā crassus è terra & aquis à Solis calore sublevatus, ac deinde exactè tenuatus ac coctus, à frigore sequentis noctis concretus, arborum ramis & frondibus, herbis, lapidibus, & interdum solo inhærescens. Atq; ita peritis naturæ interpretibus visum fuit, quò ad eius essentiam & generationem, Galeno referente.*

Antiquis incognita. *Mannam autem Arabum cognitam fuisse ab autoribus antiquis pro Mellis specie, licet nihil*

licet nihil tradiderint de vi, quam habet purgandi; constat ex ipsomet Galeno lib. 3. de alim. fac. cap. de Melle, vocans mel roreum, & mel aëreum. Et Vergilius lib. 4. Georg. cantat esse donum cœleste. Theophrastus lib. 3. cap. 9. de hist. plant. dicit esse humorē melleum. Plinius lib. 11. cap. 12. multa ipsi imponit nomina, qualia sunt: sudor cœli, siderũ saliva, purgantis se aëris succus. Manna hæc vulgaris non differt à melle communi, nisi quòd corpulentius hoc sit, & non nisi interventu apum possit colligi. Non provenit in omnibus locis, quales sunt multùm frigidi, sed neq; etiam semper in alijs, & non toto anno, sed in æstate. Quámvis Galenus dicit, quòd in Pergamo civitate Asiæ, sua patria, cadebat tardè & rarò: in monte autē Libano quotannis persæpè. Temporibus elapsis inventa est Manna in ista regione, quæ ceciderat supra populos & salices, sed non in illa quantitate et perfectione, quæ desideratur ad vsum medicinalem. Tria cognoscuntur eius genera in India Orientali, ex provincia Vzbeque deportata. Primum viribus conservatum, Vnde. Species.

vocant Xirquest, h. e. Lac arborum, alij corrupto nomine Siracost. Alterum dicitur Tereniabin, et ferunt generari in Carduis, granis quàm Coriandrū maioribus. Vulgus plantæ fructū esse putavit, sed Gummi aut Resinam esse rescitum est, colore inter album & rubentem medio. Huius vsus præfertur à Persis ei qua vtimur, quoniam nostram non audent dare pueris, nisi decimum & quartum annum excesserint. Tertium genus magnis glebis advehitur ex Bassora vrbe Persica, admitis plerumq; folijs, plurisq; æstimatur. Advehitur interdum Goam aliud genus Mannæ ex Ormuz, melli albo depurato persimile: sed facilè corrumpitur in hac regione, quòd illam non conservent in vasis vitreis. Melior habetur, quæ insidet folijs arborū, quā vocant Itali Manna di fronda, Mannam foliorum, quia ex folijs colligunt. Dulcis est, & suavis ad gustum, minutis granulis cōstans, mastiches granulis similis. Secundas partes sibi adsciscit, quæ ramis insidet, quæ est aliquo modo crassior, et ipsam appellant Maña di corpo, Mannā corporis, [quia ex ramis tanquam corpore

Præstātia.

corpore arboris habeant.] *Tertias verò, quæ lapidibus & solo inhæret, quæ granulis constat craßioribus, & colore minus syncero, neq; sapore simili. Est Manna quædam qua vtimur in Castilia, allata ex Calabria, quæ conferri cũ Indica poßit, maximè illa quæ decidit in terras Ducis de Seminara. Et quia recens melior est, fugiunt in Italia Orientalem: eodem modo quo nos vtimur potius Calabrina, quàm Indiana, quæ magis distans est. Sed animadvertendũ, maiorem partem Mannæ, quæ nobis adfertur in Hispaniam è regno Neapolitano, et in alias regiones, nihil eße aliud, nisi gummi aut lachrymã Fraxini & Vlmi: quæ si sponte manat, dulcis est: sin autem exiliat earum arborum inciso cortice, vt maiori ex parte fit, fluit amara, quare admiscent sacharum, & hanc vocant in Italia Manna forzata, quia ipsam extrahunt virib⁹ brachiorum, incidendo fraxinos, vt diximus. Et, quemadmodum antiquo more receptum est, vt nihil tàm malum sit, quod non defensorem sui aliquem inveniat: ita etiam non defuit ex recentioribus, qui vult defendere*

Mañа nostra qualis.

Nullũ tàm impudens mẽdacium, vt teste careat. Plin. lib.8.c.22.

Donatus Antonius ab Altomari. & laudare hanc mannam malignam, adferens rationes falsas & frivolas, vt quilibet videre poterit, qui tractatũ ipsius de Mãna perlegerit. Quem audivi scripsisse ipsum, non tàm vt approbaret istud medicamen noxium, quàm propter irrogatam pœnam ac mulctam ijs, qui Neapoli i lam collegerunt. Facultas. Invenitur Manna sæpissimè in vitibus, & incolæ quando se purgare cupiunt, vnum atq; alterum racemum vuarum incidunt, sicq; simul & palato & sanitati consulunt. Temperies eius statuitur calida & humida in primo gradu. Purgat sine fastidio & molestia, tutoq; datur infantibus & mulieribus gravidis ab vncia vna vsq; ad quatuor. Evacuat bilem, lenit pectus, promovet vrinã. Durat vsq; ad annum vnum, quo elapso rancescit: & propterea non solùm oportet esse prudentes Medicos in ea præscribenda, quàm Pharmacopoeos industrios in comparanda, quandoquidem præter pretium etiam saluti ægri si mala est incommodat.

De Myrrha. Cap. XI.

Myrrha est lachryma alicuius arboris in Arabia, quæ spinosa est, dura, quinq; cubitorum alta, habens corticem læuem, similem cortici Arbuti, & folia Oleæ, sed magis crispa & pungentia. Adulterabatur tempore Galeni, vt ipse refert lib. 1 de Antidotis cū alijs gummi arboris venenosissimæ, quod vocatur Opocalpasum: id licet foris impositum in quorundam morborum curatione prodest, at intra corpus assumptum exitium attulit. Myrrham veram, adeò laudatam à veteribus non habemus, aut nostra est alia species valde differens ab illa. Notandus etiam error eorū, qui dixerunt quòd Beniuin nostrū sit magis selecta Myrrha, quia non possum intelligere, quomodo pro vno eodemq; sit habendum, quorum vnum amarum, alterum dulce est. Ex dictis cognoscitur, quàm nullam rationem habeant ij, qui sine autoritate legitima atq; demonstratione firma pertinaciter defendunt, quòd pro Balsamo lectissimo ponatur in medicamentis illa lachryma aut liquor Myrrhæ, quem Dioscor. & alij Græci vocarunt

Myrrha. Lapsus quorundā. cap. 11. Lib. 1. c. 66.

carunt

carunt Stacten, & Arabes Storacem liquidum, non habentes benè cognitam historiam
Stacte. *de Myrrha. Quòd autem Stacte myrrhæ sit liquidus vocatus Styrax, facilè probat Serapio cap. 292. de Myrrha, & 46. de Storace, vbi tradit fieri Storacem liquidum ex Myrrha primùm aqua conspersa & madefacta, ac postea torculari expreßa: qua in re Dioscoridem sequitur. Quam quidem sententiam illud confirmat, quòd liquidus Styrax sit perquàm odoratus, et gustui nõ obscurè amarus. Porrò animaduertendum, quòd hoc æuo syncerũ haud facilè inuenias, quod & alijs medicamentis, quæ ex illis locis adferri solent, vsu venit. Siquidem cùm omnia hæc per Mauritanorũ, Turcorum, Iudæorumq́ manus transeant, qui nobis Christicolis semper dolos, fraudesq́ moliuntur, Dijs sacrificium facere sibi persuadent, cùm nos aliqua in re fallere*
Storax liquidus. *poßunt. Restat, vt tradamus, quid sit Storax noster liquidus, tàm differens ab eo, de quo finieramus dicere. Respondetur, quòd sit pinguedo collecta ex eodem cortice Storacis, quando eam coquunt in aliquibus caldarijs,*

darijs, aut quãdo eam vrunt: quia non tam parvo venderetur, si verè esset liquor perfectissimus Myrrhæ. Vtilis est inprimis inter alia ad facilitandum partum, si cum oleo lib. alborum imponatur genitalibus. Probata quoq; experimento eius vis est ad extendendos et emolliendos nervos cum oleo vulpino. Quantùm ad Storacem calamitæ antiquorum, & ad Storacem rubeum aliquorum modernorum, non est huius loci declarare, maximè quia iam de ea rescripsi in secunda editione Succedaneorum.

De Opio. Cap. XII.

QVod Lusitani vocãt Amfiam, ab Arabibus (quos Indi sequuntur) dicitur Ofium, *deducto à Græcorum Opio nomine. Pleraq; enim nomina à lingua Græca acceperunt Arabes, mutando P in F, quòd sint literæ multùm affines, & ita ab Opos vel Opium vocarunt Ofium, & Pæoniam Fauniam, et alia similiter. Inveniuntur diversa genera Opij pro regionum differentia. Quod è Cairo adfertur, albicat, & magni est pretij: existimant id esse quod Thebai-* Opij nomen. Genera.

cum

cum dicitur, est laudatißimum. Ex quo infertur, Officinarum non eße legitimũ, quia nigrum. Quod advehitur ex locis, qui sunt circa mare Rubrum, est nigrum & durum.
Adulteratio. *Adulterari id quidã iudicarunt cum succo Thymeleæ, quam non nihil redolet. At in*
Quid sit. *tota India non visa est hæc herba nasci. Est autem Opium gummi vel lachryma Papaveris herbæ valde cognitæ, quæ in Castilia dicitur Dormidera, quæ exstillat de plantæ huius capite inciso vel scarificato [fisso.] Nascitur in India cum tàm grandi capite aliquando, vt capiat triginta quinq; vncias*
Vsus mirabilis. *liquoris. Vulgatißimus est apud Aphricanos & Asiaticos Opij vsus: siquidem eius esui ita aßueverunt, vt etiam abstinere eo nequeant sine vitæ periculo. quod admiratione non caret, cùm sit tàm frigidum & stupefaciens: sicut qui eo vtuntur, semperq; semisopiti aut dormitabundi conspiciantur. Vtuntur eo quidam ad levandam laßitudinem contractam ex laboribus, & ad inducendam oblivionem curarum, non vt excitentur ad rem veneream, vt aliqui existimarunt, quam potiùs sua frigiditate refrænat &*

uet & domat, cuius multi Lusitani testes esse possunt, qui esu huius effecti sunt steriles & impotentes. Quantitas, qua capiunt, est à viginti vsq; ad quinquaginta grana hordei. Fuit tamen quidam Secretarius regis Nizamoxa, qui comedebat quotidie plus quàm vnciam Opij: et licet stupidus et dormitabundus semper videretur, aptissimè tamen res tractabat. tantum consuetudo potuit. Narrat Bellonius lib. 3. Obseruat. cap. 15. abundantissimè cogi ex Papauere candido tota Paphlagonia, Cappadocia, & Cilicia, apudq; Turcos et Persas summo esse in vsu: illius etenim esu animosiores sese fieri existimant, neq; belli pericula formidare, vt nullus sit, etiamsi asprum solum haberet, qui eius dimidium in Opium non impenderet, quod pace & bello semper circumfert: non tamen ab eis sumi supra drachmæ vnius pondus. Maßlac Turcarū.

De Spodio. Cap. XIII.

D*Vbium est, an Spodium Arabum differat à Spodio Græcorum. Controuersia hæc, aut potius confusio, nata est à Gerardo* Dubium de Spodio.

nensi, in Rhas. ad Alm. lib. 3. cap. 36. qui Tabaxir Arabū vertit Spodium, res valde differentes. Etenim Tabaxir nihil aliud sonat, quàm lacteus humor, sive liquor albus vt lac, aut succus liquorve concretus, quem incolæ vocant Sacar de Manbu, quia Indi nominant Mambu arundines aut ramos arboris illud producentes. Arbor in qua gignitur solet esse altitudine Populi, folijs Oleæ: ramos extendit multùm elevatos in altum (nisi quòd aliquando Indi inflectunt pulchriores ad pergulas & deambulacra cōficienda opere topiario ad parandas vmbras) frequentibus nodis distinctos, palmi tamē longitudine ab invicem distantes, habens. Inter singula internodia generatur liquor quidam dulcis, crassitie farinæ Amyli & candore simili. Sed non omnes rami eum liquorem continent, sed solæ illæ de Bisnager, Batecala, & parte provinciæ de Malavar. Hic succus invenitur aliquando nigricans aut cinereus, licet propter id non improbetur. Nam hoc evenit aut ob humiditatem superfluam, aut quòd diutius ligno in clusus permanserit: non quòd cre-

Tabaxir.

Tabaxir historia.

matus fuerit, vt aliqui existimarunt. ⸿ *Ceterùm ex Medicorum tum Indorum, tum Arabum, Persarum, & Turcorum testimonio vtilissimũ est Tabaxir ad qualescunq; ardores internos & externos, febres biliosas, & dysenterias. Meminit eius Serapio cap. 343. suorum simpl. corrupto vocabulo Tabaxir sub Saraiscir. Ex dictis infertur, non esse nisi vnũ Spodium, idq; metallicum Græcorum: atq; etiam errasse interpretes Arabum in translatione, aut vt meliùs dicam, inventione huius vocabuli Spodion, vt ipsimet autores Arabes, qui propter loci distantiam, plenam non potuerunt habere cognitionem de Tabaxir. Quidam dicebant esse radices cannarum crematarum, alij os aut dentẽ Elephantis adustũ, et alij tantùm tractarunt de eius facultatibus. Conijcitur quoq;, quòd in compositionibus Arabum per os assumendis, si non haberent legitimũ Tabaxir, poterãt vti Rosis, vti patet ex Serapionis allegato capitulo, atq; eius interprete.*

Facultates.

Spodium vnicum: & de eo quorundã errores.

De Thure. Cap. XIV.

D*Vorum generũ Thuris mentionem fecerunt*

Genera.

cerunt autores antiqui (quod gũmi est odoriferum, & benè cognitum omnibus) vnius vocati Arabici, & alterius Indici. Sed verissimum est, nõ nasci Thus per vniversam Indiam: cùm quicquid Thuris in illa consumitur, et hinc in Lusitaniam evehitur, ex Arabia deferatur: in qua solùm nascitur, et vocatur Lovan. Quare credo illos decipi, qui putant vocari Lybanũ Græcè, & Olybanum in officinis, quòd nascatur in monte Libani. Fabulantur Græci antiqui, quòd sit ita vocatum à quodam iuvene Aßyrio, qui vocabatur Libanos, & conversus est in istam arborẽ, cùm occisus eßet à suis inimicis, quia Deos reverenter colebat, quæ res illis grata est. A Lusitanis quibusdam, qui diu in Arabia vixerunt, intelligitur, quòd hæc arbor thurifera est humilis, folia habens Lentisco similia, atq; duorũ existit generum: vna montana, altera in planis locis nascens. Prima, quæ provenit in montibus & locis fragosis, Thus profert selectißimũ, quod nos vocamus masculũ, & ipsi Melato, atq; illud est, quod rotunditate guttæ dependet, ita dictum ob figurã similem testiculo, licet

Locus, vbi nascitur.

Nominis ratio.

Arboris thuriferæ forma.

licet, vt dicit Plinius, masculum vocamus, cùm aliâs non ferè mas vocetur, vbi non sit fœmina; vti dicim⁹ de Pæonia, cuius species vna est mas, altera fœmina, & idē de Anagallide, de Mercuriali, de Terebintho, & de alijs multis reb⁹. In planis verò nascens locis Thus producit nigrum, atq; adeò vile, vt eo cum aliarum arborū resinis permixto picant & oblinunt naves, vti nos pice solemus. Optimi, huc etiam delati, tàm vile est pretium, vt centenæ libræ duobus duntaxat Lusitanicis aureis comparentur. Thus ergò nullā aliam adulterationē patitur, nisi miscendo malum cum bono. Verum quidem est, q̃ in magna eius penuria adulterari posset cum resina picea, & gummi arabico, sed deprehenderetur fraus in odore, quem non haberet suavem, & quòd incenditur seu ardet facillimè. Arbores quas diximus nasci in Arabia, crescunt præcipuè in sylva quadā regni Sabeorū, quæ vltra triginta milliaria habet in longitudine, & vltra quindecim in latitudine. Incolæ in tantum adstricti Regi sunt, vt nulli absq; Regis licentia et cō sensu permissum sit Thus colligere. Dicunt alij Lib. 12. cap. 14. Pretium. Adulteratio. Locus natalis.

iurisdictionē nominatæ syluæ esse penes trecentas familias, quibus contingit per successionem & hæreditatem vis ac potestas colligendi ac distribuendi Thus. Narrant quòd dùm tempus est vulnerare arborem, quò stillet liquor, toto illo temporis spatio dum colligitur thus, arcentur viri ab vxoribus, & à mortuorum exequijs, innuentes gummi tàm sanctum non quibusvis tractandum esse manibus. Novellæ arboris Thus candidius & maioris efficaciæ creditur esse, quàm veteris. Præter Thus illud legitimum, est etiam quod hæret in arboris cortice, quod ferreis instrumentis depectitur, ideoq; corticosum.

Collectionis tempore obseruandum.

Plinius lib. 24. cap. 6. scribit de eo, quod vocant quidam Thus terræ, *quod in rei veritate nihil est aliud, quàm illa herba vocata à Græcis Chamæpitis, & inter nos Iua arthetica.*

Manna thuris *Pharmacopoeis vsurpata, non est res alia, quàm pulvis ille, qui eius concussu eliditur, cum quo conspiciuntur fragmenta quædā corticis, vnde fit magis adstringens, quàm thus.*

In nostra

In nostra India invenitur arbor vocata Focot Guebit, *q. d. Lignum expetitum, quæ est magnitudine Populi, & summæ albedinis. Lignum eius magni fit ad imagines, quòd sit valde album, leve, & splendidum, vt vernix: & ita Indi fabricarunt ex ipso aliquot idola, vt apparuit in Tateluco Mechicano capto à Martino Cortesio. Sub cortice istius arboris invenitur quoddam gummi nostro Thuri simile, licet magis album, & minoribus fragmentis. Vtuntur eo ad eadem, si bonum est, ad quæ nos Thure.* Lignũ desiderij, seu exoptatũ.

Thus est calidum in secundo gradu, & siccum in primo cũ parva adstrictione. Vtuntur ipso multùm Indi medici in vnguentis, & suffumigijs, & alqiuando sumunt per os ad infirmitates capitis, & defluxiones. Têperies. Vsus.

Deligere autem oportet iuxta Gal. lib. 5. meth. med. cap. 4. id quod est magis tenax, & resinosius: & ad hæc vt sit tùm mollius, tùm albidius, tùm quod mansum non comminuitur, sed partes suas cohærentes sibi defendit. Electio.

DEO RERVM CREATORI
SIT GLORIA.

INDEX PRÆCIPVORVM, QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Chermes.

FINIS.

